



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis  
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis  
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios  
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

**Reiser, Anton**

**Francofvrti, 1678**

Liber Quartvs, De Ecclesia Militante

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

fia. tempore illius futura, qui homo peccati dicitur, ex iis, quæ supra de Antichristo sunt dicta, explicari possunt, unde patebit, Augustinum quoad hoc quoque punctum Evangelicis non adversari. Illud verò Augustini testimonium, quod ex epistola ejus quadragesima & octava Bellarminus opponere ausus est Hilario, egregie contra Ecclesiæ visibilitatem disputanti, illustrari debet per aliud, quod paulò ante ex eadem epistola fuit adductum.

## LIBRI QUARTI,

De

## ECCLESIA MILITANTE

## CAPUT SECUNDUM

De

*Ecclesia Notis in genere, & Evangelicorum in specie.*

Quid de Notis vel rerum signis in abstracto & in antecessum sciri debeat, ut eo facilius postmodum in concreto de Ecclesiæ notis & signis agi possit, alias & alibi ostenditur, nobis nunc in eo tantum occupatis, an Augustinus Evangelicorum, an verò Romanensium notas agnoscat magis evidentes, per quas vera à falsa discerni possit Ecclesia. Non autem opus habuisset Bellarminus, Lutherum cum Augustana Confessione ejusque Interpretibus committere, quod ille septem, hi verò duas tantum Ecclesiæ notas habeant, cum facillime hæc inter se concilientur, iis, quæ Lutherus recensuit specialius, ad generaliora reductis; non ita facilis è contrariò res fit, diversas Romanensium opiniones componere, quorum studio numerum Ecclesiæ signorum & Notarum ad centenarium usque, insigni liberalitate vel potius prodigalitate, multiplicatum esse, spissum & crassum *Thoma Gozii* sub hoc titulo opus ostendit, Ecclesiam tanta signorum & Notarum mole non parum gravans. Quæ Augustinus in contra epistolam fundamenti libro adduxit, eum non pro notis vel signis Ecclesiæ perpetuis, ex quibus Ecclesia agnosci possit & debeat, sed pro Motivis saltem habuisse, quibus se tum, suo nimirum tempore, inductum & ex turpi Manichæismo ad Ecclesiam verè Catholicam fuisse adductum & insuper motum testatur, ut in eadem constans maneret, proxime in speciali Notarum Romanensium examine ex ipso ostenditur Augustino. Nunc cum inter notas, quas Evangelici paucis contenti ad Ecclesiæ agnitionem putant sufficientes, emineat sincera verbi ex S. Literis & scripturis Canonice prædicatio, juvat audire, quid Augustinus de ea statuerit, locis ab ipso Bellarmino suppedatis. Ita autem Doctor Augustinus: *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam.* Addit contra Donatistas: *Has scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter re- tinemus?* Posteriora hæc verba tunc Bellarminus omisit, eomet ipso testatus est, Pontificios exemplo Donatistarum id omittere, quod ex Augustini consilio quammaximè debebant observare. Sed alia ex iisdem Augustini epistolis sunt loca, quibus hæc Evangelica veritas de Ecclesiæ è scripturis cognitione confirmatur. Egre- gia certè sunt, quæ contra eosdem Donatistas alibi scripsit: *Quomodo confidimus ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?* Et post aliqua ibidem: *Non quisque nostrum in justitia sua, sed in scripturis divinis querit Ecclesiam.* Qualia ferè sunt, quæ Epistola (una tantum interposita) se- quente monuit: *In sanctis libris, ubi manifestatur Dominus Christus, ibi & Ecclesia declaratur.* Ubi simul eisdem Donatistas porro graviter perstringit: *Isti autem mirabili cæcitate, cum ipsum Christum præter scripturas (id est, nisi ex scripturis) nesciant, ejus tamen Ecclesiam non divinarum literarum auctoritate cognoscunt, sed huma- narum calumniarum vanitate confingunt.* Eisdem Ecclesiæ Christi & sacre scripturæ hostes in alia iterum Epistola hunc in modum adloquitur, vel potius adscribit: *At- tenditis falsa, quæ vobis dicuntur ab hominibus aut mentientibus aut errantibus de tra- ditione Codicum divinatorum, ut in heretica separatione moriamini; & non attenditis, quod vobis ipsi Codices dicunt, ut in Catholica pace vivatis.* In aliis quoque Augustini scriptis non pauca leguntur, quæ ad præsens institutum facere possunt, ea præp- rimis, quæ sub initium undecimi libri de *Civitate Dei* extant rationem status ejusdem insigniter describentia: *Civitatem Dei dicimus, cujus ea scriptura testis est, quæ non*

vid. D. Ca-  
lov. Meta-  
ph. Div.  
part. 1.  
p. 625. &  
seqq.

Epist. 165.  
contra  
Donati-  
stas,

Epist. 48.  
ad Vincen-  
tium,

Epist. 50.  
ad Bonifa-  
cium.

Epist. 127.  
contra  
Donati-  
stas.

fortuitis animorum motibus, sed plane summa providentia dispositione, super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera Ingeniorum humanorum, divina excellens auctoritate subiecit. Et quia sancti Patris hujus enarrationes in Psalmo non semel Bellarmino in suis controversiis placuerunt, non impertinens videbitur, si exinde etiam aliquod adscribamus testimonium. Illustre autem præ aliis est, quod Psalmo post sexagesimum nono, vel juxta Ebræos septuagesimo adscriptum: *Si quaeris eum, qui prior quaesivit te, & oris facta es ejus, & audis vocem Pastoris tui, & sequeris eum, vide, quid tibi de se ostendit, quid de corpore suo, ne in ipso errares, ne in Ecclesia errares, ne quis tibi diceret, Christus est, qui non est Christus; aut Ecclesia est, quæ non est Ecclesia.* Et post pauca: *Audi vocem ipsius Pastoris, qui indutus est carne, ut quaereret carnem perditam. Ostendit se tibi, vocem ejus sequeris, ostendit & Ecclesiam, ne quis te fallat nomine Ecclesie.* Verum neque ea prætermittamus testimonia, quæ Bellarminus non ex largo, sed parco valde penu ulterius exhibet, & quidem aliquanto prolixiora, iis nimirum additis, quæ Bellarminus tanquam nimis clara & perspicua duxit omittenda. Extant autem eo in libro, quem ad exemplum & imitationem Cypriani de Ecclesia unitate contra Donatistas scripsit, in quo plurima leguntur orthodoxam Veritatem illustrantia. Videamus potiora, & quæ quam maxime nobis futura videbuntur. Ita autem hujus Controversiæ telam orditur sanctus Pater: *In-*

cap. 2.

*ter nos & Donatistas questio est, ubi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri, an in verbis Capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto, quod in illius verbis potius eam quaerere debemus, qui Veritas est, & optimè novit corpus suum. Addit Bellarminus ex capite sequenti sequentia: Non audiamus, hæc dico, hæc dicit, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Omisit autem ea, quæ statim immediate sequuntur, & antecedentia quam commodissime explicant: Sunt certe Libri Domini, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quaeramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Magis perspicuè in gratiam Evangelicorum scribere non potuit Augustinus, ut mirum videri non debeat, si hæc Bellarminus Lectorem Veritatis orthodoxæ studiosum latere voluit, ut & sequentia non pauca, quæ in eundem ferè sensum ibi leguntur. Augustino ulterius scribente: Nolo humanis documentis, sed divinis oculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Et post aliqua iterum: Si Christi Ecclesia Canoniarum scripturarum divinis & certissimis Testimoniis in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint & undecunque recitaverint, qui dicunt, ecce hic Christus, ecce illic, audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem Pastoris nostri dicentis, nolite credere. Singula quippe hæreses in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur, hæc autem, quæ ubique est, etiam, ubi ille sunt, inveniuntur. Ergo in scripturis sanctis Canonicis eam requiramus. Insignis est locus, qui por-*

cap. 4.

*rò sequitur: Quia cum Donatistis questio nobis est non de capite, sed de corpore, id est, non de ipso Salvatore Iesu Christo, sed de ejus Ecclesia, ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire designamus. Ille est autem unigenitus Filius & verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti veraloqui potuissent, nisi ab ipsa Veritate, quod est verbum Dei, manifestaretur eis, quod dicerent, & juberetur, ut dicerent. Proinde prioribus temporibus per Prophetas sonuit verbum Dei, deinde per seipsum, cum verbum caro factum est, & habitavit in nobis; deinde per Apostolos, quos misit ad se predicandum, ut esset salus usque ad fines terræ. In his igitur omnibus quaerenda est Ecclesia. Et quia, quæ in scripturis Canonicis leguntur, non*

cap. 5.

*unius sunt modi & tenoris, hinc sequentia observari vult Augustinus: Quoniam multa in alios vel ob aliud dicta, in quos volunt & ad quos volunt, maledici plerumque convertunt, multa etiam propter exercendas rationales mentes figuratè atque obscure posita per anigmatis imagines vel ambiguitatis ancipitem sensum, fallaci aliquando interpretationi consonare & convenire creduntur, hoc etiam prædico atque propono, ut quæ, aperta & manifesta deligamus, quæ si in sanctis scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura. Et iterum post aliqua: Sic & illa interim seponenda sunt, quæ obscure sunt posita, & figurarum vel æmimibus involuta, & secundum nos & secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum, judicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur, sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea causa, quam populus tenet, nostram disputationem committere. Prosequitur augustissimus Doctor hanc observationem suam his verbis: In hac disputatione nostra pareamus talibus Interpretationibus, & apertum aliquid, quo manifestetur Ecclesia, requiramus. Et porro: Prorsus, quæ alicujus inter-*

preta-

pretationis indigent, interim seponamus, non quia falsa sunt, quae de talibus tanquam involueris interpretando solvuntur, sed quia interpretem quaerunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur, sed aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quarat falsa sua sententia locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat. Multa praetereo, quae in sequentibus huic Instituto accommodata habet sanctus Pater, ne Lector multitudinem testimoniorum obruatur aut taedio adficiatur. Ea tamen adhuc legi par est, quae in libri hujus capite post decimum sexto, tanquam sede propria augustus Doctor gravissimè contra Donatistas scripsit: *Remotis ergo omnibus, Ecclesiam suam demonstrant, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Asorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet Disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini preparati & cauti sumus redditi: sed in praescripto legis, in Prophetarum praedictis, in Psalmorum cantibus, in ipsis Pastoris vocibus, in Evangelistarum praedicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonice sanctorum librorum autoritatibus. Nec ita, ut ea colligant & commemorent, quae obscurè, vel ambiguè, vel figurate dicta sunt, quae quisque, sciat voluerit, interpretetur secundum sensum suum, et alia enim rectè intelligi exponique non possunt, nisi prius ea, quae apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. Et post aliqua: Omisiss ergo istis morarum tendiculis, ostendat, quis quis respondere parat, Ecclesiam vel in sola Africa tot gentibus perditis retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam, & sic ostendat, ut non dicat, verum est, quia ego hoc dico, aut quia hoc dixit ille Collega meus, aut illi Collega mei, aut illi Episcopi vel Clerici vel Laici nostri, aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa tibi contingunt, aut quia ille frater noster aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel dormiens somniavit. Removeantur ista vel signa hominum mendacium, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quae dicuntur, aut si aliqua haereticorum facta sunt mirra, magis cavere debemus, quod, cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait, ecce praedixi vobis. Ad quem verò modum haec è numero notarum, quibus vera cognosci possit Ecclesia, removit augustus Doctor, rationes in sequentibus prolissimè adducens, ita ad ipsam iteratò & quidem expressissimè provocavit scripturam, haec porro addens: *Ad ipsam salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in scripturis sanctis Canonice debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere. Et iterum post aliqua: Vtrum Donatista Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum Canonice libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus credere nobis oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitensis optatus vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostra Communionis Episcopi, aut quia nostrorum Collegarum conciliis ipsa est praedicata, aut quia per totum orbem in Locis sanctis, quae frequentat Communio nostra, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanationum (forte sanationum) fiunt. Quaecunque talia in Catholica fiunt Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica fiunt Ecclesia; non ideo ipsa manifestatur, quia haec in ea fiunt. Ne autem contra hanc quasi peculiarem Augustini sententiam, excipere quidquam possent Donatistae, exemplo Christi ad scripturam provocantis se munit, dum haec proximè subjungit: *Ipsè Dominus, cum resurrexisset à mortuis, & Discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallacia se pati arbitrentur, magis eos testimoniis (Mosaice) Legis & Prophetarum & Psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens, ea de se impleta, quae fuerant tanto ante praedicta. Sic & Ecclesiam suam commendavit, dicens (vel jubens) praedicari in nomine suo Pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Hoc in lege & Prophetis & Psalmis esse scriptum ipsè testatus est, hoc ejus ore commendatum tenemus. Haec sunt causa nostra documenta, haec fundamenta, haec firmamenta. Apostolorum quoque exempla in subsidium adfert: Legimus in Apostolorum actibus de quibusdam credentibus dictum, quod quotidie, scrutarentur scripturas. Quas scripturas, nisi Canonicas Legis & Prophetarum? Huc ad-***

*cesserunt Evangelia, Apostolica Epistola, actus Apostolorum, Apocalypsis Iohannis.* Pen-  
 na languescit antequam omnia huius sancti Patris in rem presentem testimonia ex  
 unico hocce libro adscribantur, qui ita compositus videtur, ac si Doctor augustissi-  
 mus in antecessum Evangelicis arma pro hac ecclesiæ nota principali contra hostes  
 suos fabricare & liberaliter insigni numero & copia suppeditare voluisset, ita qua-  
 vis aptissime contra modernos scripturæ contemtores adhiberi possunt, ut nihil plane  
 ad plenissimam huius Controversiæ tractationem desiderari posse videatur. Cau-  
 tissimè hinc & in partis suæ commodum utilissimè (nescio tamen, an etiam sincerè)  
 egit Bellarminus, dum paucis quibusdam, iisque truncatis valde Augustini testimo-  
 niis contentus, cætera quævis, eaque clarissima silentio prætermisit, ne, quia suffi-  
 ciens ad ea responsum in promptu non fuit, Lectorem dubium relinqueret, vel an-  
 sam ei præberet ad Veritatem penitus agnoscendam. Illud certe responsum, quod  
 ad citata à se augusti Doctoris testimonia parce satis dedit, tale est, quod nullo pla-  
 ne modo satis potest facere, aut mentem sancti Patris omni ex parte perspicuam in-  
 tervertere. Dicit, *ex scriptura probari quidem, ubi sit Ecclesia, sed non tanquam ex  
 nota Ecclesie, sed quia doceat scriptura, quæ sint notæ, nimirum, qualis illa sit, ubi ce-  
 perit, & quomodo creverit?* Sed si Augustini sententias, prout jacent, exque uni-  
 verso contextu sensum habent, ritè attendamus, nihil aliud eum voluisse adparebit,  
 quam ut ideò ecclesia ex scriptura demonstraretur, quia ex ea solum constare potest,  
 qui cæterus inter eos, quorum causâ hæc agitur controversia, doctrinæ sinceritatem  
 tueatur, ita ut ex S. Literis fiat iudicium de Doctrina, exque eadem fieri possit iudi-  
 cium de ecclesiâ, ordine ista naturali, ut, nisi in transversum agerentur Lucifuge,  
 non possent non sibi commendatissimum habere. Verùm nec dum adquietere  
 potuit Bellarminus, ut non plus ultra tentaret, annon quidquam super adhuc sit,  
 quò Augustinum aliqua saltem ratione evangelicis sisteret adversarium. Antea cir-  
 ca Notas in genere observavit inter alia, *Notas debere esse notiores ea re, cujus sint  
 notæ, alioqui enim non esse notas, sed ignotas.* Contra hanc observationem ex mente  
 Evangelicorum sibi met ipsi objecit, *scripturam esse notiozem, quàm Ecclesia sit, quan-  
 doquidem inde probetur Ecclesia.* Respondet, *simpliciter Ecclesiam esse notiozem &  
 priorem, quàm sit scriptura, cum Ecclesia fuerit ante scripturam, & ipsi data sit à Deo  
 scriptura, & ipsa eam aliis tradat & explicet, ex hypothesi tamen scripturam aliquando  
 esse notiozem, quando videlicet est recepta, & clarè loquitur, & oritur questio de Ec-  
 clesia, sicut interdum & è contrario Ecclesia est recepta & nota, & questio oritur de  
 scriptura, & sic unum probatur ex altero, v. gr. Quando disputabatur de Baptismo hæ-  
 reticorum, quia obscurè loquitur scriptura, & Ecclesia erat nota, Augustinus probabat  
 secundum scripturas, ratum esse Baptismum hereticorum, quia Ecclesia illum habuit pro  
 rato. Contra, cum disputabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia scriptura  
 erant recepta & clara, inde Augustinus probabat.* Si Bellarminus iudicium, quo  
 non plane nullo fuit præditus, ex debito hic adhibere voluisset, aut saltem cogi-  
 tassent, lectorem hæc à se scripta cum iudicio examinaturum, non tam im-  
 prudenter ac contra seipsum scripsisset. Ut enim priorem responsi partem non  
 tanquam, utpotè huc impertinentem, quæ in posteriori scripsit, in gratiam  
 evangelicorum scripsisset, quamvis invitum & fortè inscium, patet apertissimè.  
 Non enim hic alius est Controversiæ questionis status, quàm quæ sit vera ecclesia,  
 neque laudata Augustini testimonia aliorum tendunt, quàm ut ostendatur, sanctum  
 Patrem contra Donatistas pro eâ militasse ecclesiâ, quæ ducem sequeretur scriptu-  
 ram, vocem scilicet Pastoris optimi, quam oves ante omnes alias agnoscere, liben-  
 ter audire & constanter sequi tenentur. Questionem facti circa Anabaptismum  
 hæreticorum à Cypriano primum, tum ab Augustino etiam luculenter tractatam,  
 quod attinet, supra jam non semel ejus mentio est facta, & infra ex occasione ple-  
 nius enucleabitur, quia & in sequentibus proximè, ut aliquid de ea dicatur, Bellar-  
 minus ansam præbet, alteram videlicet Notam ex sententia evangelicorum ad ec-  
 clesiæ Veritatem ex legitimo Sacramentorum usu demonstrandam examinans,  
 quam iisdem argumentis refutari posse existimat, quibus antecedentem oppugna-  
 re est conatus, inde præprimis, quia Notas à vera Ecclesia inseparabiles esse contem-  
 dit, & tamen de Ecclesiis tempore Cypriani Africanis scribit, quod juxta senten-  
 tiam Augustini vera fuerint Ecclesia, ut non sincerè sacramentum baptismi tractave-  
 rint, eodem teste Augustino. Atqui illud quidem in loco Augustini, ad quem Bel-  
 larmine provocat, legere datur, mansisse Cyprianum cum Collegis Anabaptismum  
 defen-

defendentibus & exercentibus *in unitate Ecclesiastica*, neque semet ipsos per aliquid quod schisma actuum ab ea separasse, id quod Augustinus omni elogio dignum censet adque imitationem proponit; sed quod non sincerè tractaverint sacramentum Baptismi Cyprianus & ceteri tum temporis in Africa Episcopi, illud ibi Augustinus non habet, neque potuit habere, cum probe sciverit, Cyprianum virtuti huius sacramenti nihil detraxisse, id solum contendisse, ab hæreticis malè id possideri & usurpari, quod sit Bonum soli Ecclesiæ verè Catholicæ proprium, nullo autem modo cum quibusvis hæreticorum conventiculis commune, & tanto id quidem fervore & zelo, ut ipsi Augustinus & alii quibusdam ad alterum deflexisse extremum fuerit visus, etsi forte non desint, quæ pro Cypriani sententia ritè intelligenda non inutiliter possent moneri, si id jam ageretur, & non aliorum differri deberet. Id jam constat, malè ad Augustinum hic provocasse Bellarminum in removendo ex Notarum Ecclesiæ numero sacramentorum usu, eodemque legitimo, quod quam maximè venit attendendum; cum ipse Augustinus alibi contra Donatistas agens eleganter sacramentum Baptismi cum nota & caractere militari comparaverit, eo ipso tanquam characterem & notam militiæ cœlestis hoc sacramentum commendans, quo nihil insignius & ad præsens Institutum accommodatius fieri potuit.

Quæ ad cæteras observat Notas Bellarminus, quas *Luthero* eum adscribere supra vidimus, prætermittere innocenter licet, hoc solum excepto, ubi Augustini intercedit autoritas, nimirum quod ipsam Ecclesiæ persecutionem attinet, unde etiam Martyrii honor eidem accedit, ut *Lutherus* utrumque hoc non pro Ecclesiæ nota propriè dictâ haberi voluerit, sed pro accidente quodam, quo tamen utpote rarius absente, Ecclesiâ verè Catholicâ à quibusvis hæreticorum & schismaticorum cœtibus non male discerni possit, Bellarmino quamvis contradicente, & utrobique ad Augustini in contrariam partem testimonia provocantè, ibi quidem significantis, *Ecclesiam & in principio & in fine magnas esse passam & adhuc passuram esse calamitates, in medio tamen juxta prædictiones fuisse florentissimam*; hic autem contra Donatistas urgentis, *eos vivere ut latrones, & honorari ut Martyres*.

Quia uterque Augusti Doctoris locus aliquid notatu dignum exhibet, silentio id involvi non debet. Quoad prius, etsi cum sancto Patre non negemus, habuisse Ecclesiam Christi in medio temporis & aliàs etiam non semel halcyonia, ita ut post graves persecutionum æstus respirare potuerint aliqua ex parte fideles, variis Martyriorum generibus pressi & tantum non plane oppressi; id tamen simul certum est, nunquam ita floruisse Ecclesiam, ut non remoto Tyrannorum metu externo, ab internis hostibus, hæreticis nimirum & schismaticis, semper aliquis superfuerit timor, isque non inanis aut contemnendus, ut ad eò Ecclesiæ nunquam fere defuerint Martyres, si non cruenti, saltem incruenti, & quibus perpetuò cum falsis Doctoribus fuit pugnandum, inter quos Augustinus ipse magnum semper nomen fuit, non unius hæreticorum pila, quamvis nunquam non Deo bonam & propriam juvante causam victor evaserit arma contra quosvis hostes gloriosissimè gerens, quibus hodiernum in multum orthodoxæ veritatis commodum Evangelici, non absque adversariorum ægritudine utuntur. Et dum persecutio non unius tantum est modi, sed ea etiam non raro illos tangit, qui aliis varia persecutionum genera & sine causa quidem intentant, inde Augustinus notanter distinguit persecutionem justam ab injusta, loco priori ita scribens: *Si verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi; & est justa persecutio, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter Iustitiam; illi vero miseri, qui persecutionem patiuntur propter injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi serviendo; ista ut corrigat, illi ut evertant; ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem. Denique ista persequitur inimicos & comprehendit, donec deficiant in vanitate, ut in veritate proficiant; illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salutem, etiam temporalem nobis conantur auferre.* Et in paulò antecedentibus: *Veri Martyres illi sunt, de quibus ait Dominus, Beati, qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem & propter Christiana unitatis impiam divisionem, sed qui propter Iustitiam patiuntur persecutionem, hi martyres veri sunt.* Satis apertè, opinor, Augustus Doctor suam de persecutione explicavit sententiam, quâ nimirum ratione persecutores justè ab iniquis dignosci queant, ne hi contra illos obtineant, illique ab his plane opprimantur. Gemina fere his sunt, quæ posteriori loco sanctus Pater nomine Cleri

vid. D.  
Hilsem. de  
Concept.  
fiat. p. 226.  
scqq.

lib. II. con-  
tra Epist.  
Parmen.  
cap. 13.

Epist. 10.  
ad Bonif.

Epist. 68.  
ad Januar.

Hipponensis ad Januarium, primæ sedis apud Donatistas Episcopum scripsit: *Confideret gravitas tua, quàm multi vestrum, imò vos omnes, qui vos pati dicitis persecutionem, sub ipsis quasi terribilibus Imperatorum Catholicorum legibus, in possessionibus vestris & alienis securi sedeat, & nos à vestris tam inaudita mala patiamur. Vos dicitis pati persecutionem, & nostræ domus ab armatis vestris calce & aceto extinguuntur. Insuper etiam, si quas mortes sibi ultrò ingerunt, nobis volunt esse invidiosas, vobis autem gloriosas. Quod nobis faciunt, sibi non imputant; & quod sibi faciunt, nobis imputant. Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut Martyres. Mirum verò posset videri, qui factum, quod Bellarminus persecutionem, videlicet passivam, quam Ecclesiæ vere orthodoxa in membris suis nunquam ferè non sustinere cogitur, unde Martyrii gloria, tanti olim æstimata, eidem solet accedere, pro Nota Ecclesiæ noluerit agnoscere; nisi in subsequentiis inter alias plures Notas Felicitatem Ecclesiæ temporalem ab eo fuisse adscriptam docendi essemus, quam pari passu cum persecutione vidit ambulare non posse, adeoque tutius iudicavit, ut hæc locum habere possit, illam excludere, utpote minus gratam, & quæ hodiernam Ecclesiæ Romanensis faciem dedeceret, non cruore sanguineo, ut antehac, sed rubore purpureo superbientem. Ne tamen omnis Martyrii honor q. in exilium missus videatur, dum præsens *Roma*, & qui eam ut Matrem venerantur, status ejusque ratio ad quavis alia respectum habet, ac illo tempore, quo sanguine fundatam esse Ecclesiam ac insigniter crevisse è Martyrologiis notissimum est; sunt hodiè, qui de novo Martyrii genere solliciti singulare ex eo elogium reportare studuerunt, interq; eos *Theophilus* ille *Raynandus*, qui præter alia Ingenii ad novi quid excogitandum non adeò sterulis inventa, etiam *Martyrio per Pestem* à se miris laudibus commendato inclarescere laboravit, prolixissimè à *Thoma Hurtado* in opere Resolutionum Moralium refutatus, quod tamen Martyrium, socio laturus suppetias, *Andreas de Mendo*, non ita pridem, in statera opinionum nimis benignarum, suo adprobasse suffragio duodecim Academiæ, & inter eas aliquot in Hispania gravissimas, nec non tredecim eminentissimos Cardinales, duodecim sapientissimos Antistites, nec non ducentos sexaginta quatuor Doctores & Magistros, Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Italos, Anglos, Belgas, & inter hos numero Hispanos excedere alios, demum quinquaginta tres scriptores alios, ut adeo pauperis non amplius sit numerare pecus, hæcque de *Martyrio per Pestem* sententia, utut antiquis Ecclesiæ Doctoribus ignotissima, non simpliciter tantum probabilis, ad cujus valorem unius etiam Doctoris autoritas ex mente *Caramuelis* sufficit, sed probabilissima ex tot Doctorum & Universitatum Academicarum suffragiis videri posset, nisi ipsum *Raynandi* de hoc argumento librum Censores Romani, suis sine dubio rationibus ducti Indici prohibitorum inferuissent, omnem eomet ipso probabilitatem & autoritatem novæ huic opinioni, quantum in ipsis fuit, detrahentes.*

## CAPUT QUARTUM &amp; seqq.

De

*Notis Ecclesiæ Romanensis.*

Inter quas dum primo Bellarminus loco ponit nomen & elogium Catholicissimi Icausas prægrandes, ut habuerit, opus est, cur, cum capite antecessario Augustini laborem & studium in enumerandis & commendandis sex Ecclesiæ Notis, vel potius ex ipsius Augustini sententia motivis, laudaverit, non in numeri solum augmento ab ejus ductu secesserit, sed & ordinem plane interverterit, ut quod ultimum Augustissimo Doctori fuit, ipse omnibus aliis anteponeret. Ut hoc in limine observetur, ipse Bellarminus occasionem præbuit, ad id S. Patris testimonium in adscribendo Ecclesiæ hoc Catholicissimi elogio provocans, quod hoc ipsum apertissimè nobis exhibet, sequenti videlicet verborum tenore: *Tenet me in gremio Ecclesiæ Catholicæ nempe post & præter confessionem populorum atq; gentium, post & præter autoritatem Miraculis inchoatam, spe nutritam, charitate auctam, Verustate firmatam; post & præter successione sacerdotum ab ipsa Petri Apostoli sede, cui Dominus pascedas oves suas post resurrectionem commendavit, usque ad præsentem Episcopatum;* post & præter hæc postremò tenet me etiam ipsum *Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesiæ obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quarenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholi-*

conf. Ca-  
fal. in Can-  
dore lili,  
p. 580.

Dissert. 1.  
Quæst. 13.  
num. 151.  
conf. Apo-  
pomp.  
p. 219. &  
seqq.

contra  
Epist.  
Fund. c. 4.

cam conveniatur, nullus hereticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Quia hic locus Augustini à plerisque scriptoribus Papæis contra Evangelicos solet urgeri, ejusque membra hic exposita in sequentibus à Bellarmino ad illustrandas Ecclesiæ notas multis cum observationibus exhibeantur, juvat semel pro semper ea hic breviter & per compendium repetere, quæ prolixius non ita pridem in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* fuerunt tractata. Certum est primo & ante omnia notandum, agere hic Augustinum contra Manichæos, cujus argumenta num contra Evangelicos hodiè cum fructu adhiberi possint, & num Evangelicis quidquam cum Manichæorum erroribus commune sit, qui Bellarmini partes suscipere voluerit defendendos, demonstrare ad oculum tenebitur. Deinde illud etiam ex attenda verborum Augustini lectione constat, cum de elogio Catholicismi, & cæteris omnibus motivis, vel, ut Bellarminus putat, Ecclesiæ Notis, ita locutum esse, non quasi earum respectu primum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium pervenerit, sed quod per eas vel ea, accedentibus & antecedentibus aliis, in Ecclesiæ Catholicæ gremio ita retineatur, ut ad Manichæos, à quibus semel per Dei gratiam secesserat, redire salva conscientia non posset. Porro quam-maximè observari debet, augustissimum Doctorem huic & cæteris motivis non potest sed omninò præposuisse illam Ecclesiæ verè Catholicæ notam, quam Evangelicos hujus sancti Patris exemplo præprimis etiam attendere, ex antedictis sufficienter patet, videlicet *sapientiam* in ea *sincerissimam*, quam tamen se hic ideo omittere, id est, contra adversarios primariò non attendere scripsit sanctus Pater, ad hominem more non insolito disputaturus, quia Manichæi eam in Ecclesiâ verè Catholica dari non credant, de qua etiam insequentibus contra antagonistas Manichæos gravissimè monuit: *Apud vos nihil horum est, quod me invitet & teneat. Sola personat Veritatis pollicitatio, qua quidem, si tam manifestè monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica Ecclesia teneor. Si autem tantummodo promittitur & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, qua animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.* Notatu in his Augustini verbis dignissimum est, quod magni quidem æstimet motiva à se enumerata, quibus se non ad Ecclesiam venisse, sed in Ecclesia teneri scribit, neque nos diffitemur, quin Augustini tempore non parum habuerint momenti, ea non plane nullo hodiernum habituri loco, nisi tempora per duodecim hæc secula nimis quantum fuissent immutata, atque Ecclesia aliam omninò faciem ea inter induisset, vix de re vix quidem agnoscenda, si Augustinus eidem sisteretur redivivus, longe aliter nunc quam olim de ea scripturus; at nihilo tamen minus iis omnibus anteponat sincerissimam in Ecclesiâ verè Catholica sapientiam, id est, ut in posterioribus mentem suam apertius explicavit, ipsam fidei Veritatem in S. Literis revelatam, ad quam contra alios quoque hæreticos, nominatim Donatistas sæpissimè provocavit, ut prolixissimè ad caput antecedens ex illustri præprimis opere ejus de Unitate Ecclesiæ fuit ostensum. Ipsum nunc Catholicis in elogium in specie quod attinet, quod Bellarminus in acie ponit de Notis Ecclesiæ acturus, ut non repetam hic, quæ de eo generatim in citatis modò *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ex recentioribus quibusdam scriptoribus, nominatim *Launojo*, Sorbonista Eruditissimo nuper observavi, uberius illustranda per ea, quæ *Salmasius* inde primatu Papæ

cap. 14.  
pag. 210.  
& seqq.

Tract. 4.  
in Epist.  
Ioh. conf.  
Tract. 5, in  
fine.

licos

cap. II.

licos & Donatistas, qui idem sibi met ipsis adferebant, in collatione dici tertiæ ultrò citroque pro & contra fuisse proposita memorat: *Cum Donatista factâ mentione nominis Catholici dicerent, apud se potius Catholicam esse Ecclesiam, quam alios, qui se hoc nomine à Donatistis separabant, interlocutus est cognitor, illos, quanto magis se Catholicos esse dicerent, tanto magis ipsam causam remotis morarum interpositionibus agere debere, in qua probare possent, se potius esse Catholicos.* Addit in sequentibus, cum Donatista dicerent, catholicum nomen non ex universitate gentium, sed ex sacramentorum plenitudine institutum, atque peterent, ut probarent catholici, omnes sibi communicare gentes; Catholicos gratissime id accepisse, & petivisse, ut hoc probare permitterentur, id tamen non impetrasse, Donatistis à causa Ecclesiæ iterum resilientibus, utpotè in eas nihil habere, quod dicerent, probe scientibus. Quamvis autem Catholici tempore Augustini, quo hæc agebantur, hoc etiam sensu, quo Donatistæ volebant, Elogium Catholicismi præ aliis sibi competere facillimum demonstratu judicarent, paratissimi id adversariis ita ob oculos ponere, ut satis desiderio eorum facerent ex asse; alibi tamen Augustinus contra eisdem scribens Donatistas id non ita putavit necessarium, ut non consultius duxerit, hoc etiam remoto ad S. Scripturæ autoritatem provocare, cuidam ex hæresi rogatiana, quæ propago Donatistica hæreseos erat, & ut Augustinus loquitur, brevissimum de majore fructo fructum, lequentia ad animum vocans: *Acutum aliquid dicere videris, cum Catholica Ecclesia nomen non ex totis orbis communionem interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum, quasi nos etiam (si forte hinc sit Ecclesia adpellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cujus Veritatis nonnulla particule etiam in diversis inveniuntur hæresibus) hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandam in omnibus gentibus Ecclesiam, & non promissis Dei & tam multis tamque manifestis oraculis ipsius Veritatis.* Hinc alio iterum loco contra eisdem Donatistas multa cum observatione monuit, neque Catholicis Episcopis esse consentiendum, scubi forte fallantur, ut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiant. Huc quoque referri debet discrimen illud, quod inter bonos & malos statuit Catholicos, ut inde simplices præmuniri possint aliquatenus: *Illi Catholici mali rectè deputantur, qui quamvis vera credant, quæ ad veram fidei doctrinam pertinent, & si quid forte nesciunt, querendum existimant, & salva pietate discutiant sine aliquo ipsius Veritatis præjudicio, & bonos, vel quos putant bonos, ament atque honorent, quantum possunt, tamen flagitiose ac facinorose vivunt, contra quam vivendum esse credunt. Boni autem Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur, & mores bonos. Quod ad fidei doctrinam pertinet, ita querunt, si quid querendum habent, ut absit concertatio periculosa vel querenti, vel ei cum quo queritur, vel eis qui differentes audiunt; ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata & confirmata securissime & fidentissime & lenissime insinuent, ut possunt, inusitata verò, etiamsi Veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, querendi potius quam præcipiendi aut adfirmandi modo propter audientis infirmitatem.* Ut cætera quævis omittam, quæ ex his Augustini testimonii in rem præsentem possent observari, illud ante omnia ex iis manifestum est, sanctum Patrem Ecclesiæ Veritatem non ex hoc Catholicismi elogio, sed id potius ex scripturæ & Veritatum in ea contentarum consensu probari consultum duxisse; qui insuper, dum se hoc nomine in Ecclesiæ verè Catholicæ gremio teneri, & ut in ea maneat moveri scripsit, non de nudo nomine, sed ipsa re intelligendus venit, nisi mentem ejus non uno in loco satis clarè expressam pervertere velimus.

Sed ad cæterarum Ecclesiæ Notarum à Bellarmino propositarum examen progrediamur, quatenus nimirum vel Augustinus est vindicandus, vel pro Evangelicorum sententiâ laudandus. Ad secundam igitur notam, quam sub antiquitatis elogio sistit Bellarminus, illud præsertim pertinere censet, quod scripturam sacram ipsi gentium diis, & Ecclesiam omnium paganorum conventiculis antiquiorem post Tertullianum demonstrat Augustinus, & præterea ipsam antiquitatem loco ante citato inter Ecclesiæ notas ponat. Et quia ex parte Evangelicorum, quibus à tempore reformationis novitas doctrinæ & Ecclesiæ nuper demum natæ objicitur, ad vindicandam utriusque antiquitatem ostendi & demonstrari solet, non novam proponi in Evangelicorum cæteribus doctrinam, sed antiquissimam in scriptis Apostolorum & Prophetarum fundatam, proximis quidem ante Lutherum seculis ita corruptam & traditionibus humanis obrutam, ut in totum ferè oppressa fuerit, at hujus Megalandri cœlitus ad id animati opera ita restitutam & re-

Epist. 48.  
ad Vincent.de Univ.  
Eccles.  
cap. 10.  
Quæst. ex  
Matth.  
num. 11.

& restauratam, ut ante-actorum infcisi & ignaris nova plane visa fuerit, Ecclesia, quæ Romani Præfulis decreta per aliquot seculorum decursum fuerat amplexa, antiquum obtinente quidem, sed non antiquissimum, id quod ex sola Pauli ad Romanos Epistola quoad pleraque Fidei capita non semel hæcenus est ostensum. Ut verò id cludat Bellarminus, argumentum aliquod ex Augustino opponit, quod eum donato antehac opposuisse scribit, sequentibus verbis, sed Bellarmini magis, quàm Augustini propositum: *Aut ista Ecclesia, quæ nunc adparuit, antea perierat, & nunc surrexit, aut non perierat, sed tantum latuerat, & nunc extulit caput. Non primum, quia tunc non potuissent, renasci, si Mater perierat. Si perit, unde ergo Donatus adparuit, de qua terra germinavit, ex quo mari emerfit, de quo cælo cecidit? Et præterea falsæ erunt promissiones Christi, Portæ inferi non prævalebunt, &c. Ego vobiscum, &c. Non secundum, quia tunc vel ista latens Ecclesia suam profitebatur fidem, vel non profitebatur. Si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta, & si manifesta, quomodo nemo advertibat, quomodo non capiebantur & coercerantur ab Inquisitoribus, qui longo tempore ante Lutheri et adem esse ceperunt in Ecclesia? quomodo nullum vestigium, nulla eorum memoria extat? Si autem non profitebatur fidem, sed verè & propriè latebat, quam partem ipsi defendere coguntur, ergo illa non fuit Ecclesia, ac proinde nulla fuit verè in mundo Ecclesia; nam ut ipsi dicunt, confessio fidei est nota veræ Ecclesie, & ore fit confessio ad salutem.* In genere ad hujus notæ præscriptionem, prætersumque hoc à Bellarmino jactatæ antiquitatis elogium responderi posset, quod author questionum ex utroque Testamento (quem Bellarminus & alii scriptores Papæi non semel sub Augustini nomine commendarunt, ipso quamvis Bellarmino & aliis iterum scriptoribus Papæis contradicentibus) ad præsens institutum pertinentissimè suppediavit, contra gentilium superstitiones agens: *Subtilitate & astutia Satana factum est, ut per iraducem antiquitatis commendaretur fallacia.* Et post aliqua: *Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quia quod anterius est, inveniunt, falsum esse non potest. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati.* Dum verò Author hic sub Augustini, nomine veterem antiquitati consuetudinem jungit, utrique veritatem anteponens, referri huc etiam possunt ea Augustini testimonia, quæ post Ivo-nem Gratianus corpori Juris Canonici, ejusdemque partis primæ distinctioni octavæ inseruit, hoc ordine: *Veritate manifestata cedat consuetudo Veritati. Plane respondeo, quis dubitet, veritati manifestata debere consuetudinem cedere? Item, Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Iterum: Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.* Et infra: *In Evangelio Dominus inquit, ego sum veritas, non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Iterum infra: Revelatione facta veritatis cedat consuetudo Veritati: quia & Petrus, qui prius circumcedebat, cessit Paulo Veritatem prædicanti. Adhuc infra: Cum Christus Veritas sit, magis Veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & Veritas semper excludit.* Porro, Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciant, quasi consuetudo major sit Veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu Sancto revelatum. Insuper, Hoc plane verum est, quia ratio & Veritas consuetudini præponenda est, sed cum consuetudini Veritas suffragatur, nihil oportet firmiter retineri. Libuit hæc ex Augustino, collectore post Ivo-nem Gratiano, exscribere non quasi antiquitatis aut laudabilium in Ecclesia consuetudinum hostes esse, sed quia exinde patet, Augustini, imo Cypriani (ex quo Augustinus pleraque hæc in suos derivavit usus, sibiq; propria vel potius communia fecit) tempore jam fuisse, qui veritate victi antiquas prætenderent consuetudines, ab utroque autem ad veritatis normam revocatos, quod dum Evangelici hodiernum contra antiquitatis jactatores observant, exemplo Augustini id faciunt, quem sibi in iis etiam, quæ Bellarminus ex eodem opposuit, nullo plane modo agnoscunt contrarium, sed per omnia egregiè consentientem. Noster est Augustinus, quando Ec-

vid. Ro-  
berti Cocci  
Cens.  
p. 345.  
num. 114.

vid. lib. 18.  
de Civ.  
Dei, cap.  
37. seqq.

præter

contra  
Epist.  
Fund. c. 4.

Lib. III. de  
Bapt. c. 2.

præter alios defendit non ita pridem B. *Vrsinus*. Ecclesiæ autem non quidem Mosaicæ, sed Mosaicâ antiquioris, nimirum Adamicæ & Noaicæ genuinam antiquitatem, ac Evangelicorum cum iis consensum nuper exhibuit *D. Babelii*, submissurus suo tempore Abrahamicam quoque & Mosaicam, quia & fortè Davidicam, & his succedentem Propheticam, omnes egregiè in Fidei fundamento Evangelicis correspondentes. Ut adeò neque in hoc Augustini subterfugiamus auctoritatem, dum se inter cætera teneri in gremio Ecclesiæ verè Catholicæ scripsit *authoritate Miraculis inchoatâ, spe nutritâ, Charitate auctâ, Vetustate firmatâ*; cum & nos verè fateamur teneri in gremio Ecclesiæ, non nominatenus saltem, sed re ipsa Catholica, doctrinâ non novâ, non aliquot, sed omnium ab orbe condito seculorum auctoritate firmatâ, verè antiquâ, imò omnium antiquissimâ, etsi ad tempus non omninò quidem extinctâ, at multis tamen errorum tenebris obscurata, ut aurum à scoris secedere artis & summæ difficultatis fuerit. Evanescit hinc illius Dilemmatis vanitas, quod non ex Augustini, quem quidem nominavit, sed sui malefani cerebri promtuario infelici conatu Bellarminus finxit, cum in finem, ut Evangelicos ad absurdum deducat, agnoscere videlicet coactos, vel Ecclesiam Marrem omninò periisse, vel filios ejus fidem filii ab aliis cognosci & distingui potuissent & debuissent. Prius, quod extorquere conatur absurdum, Evangelicos non ferit, nunquam & nullibi docentes, Ecclesiam omninò periisse, quam contra Inferorum portas ob summi Protectoris & capitis gratiosam & potentem omnipræsentiâ ad Mundi finem iri conservatum è Promissionum veritate docti sunt & indubii. Hinc quicquid ex Augustino adfuit, contra adversariæ partis *ducem & authorem* scribente: *Vnde Donatus adparuit, de qua terra germinavit, ex quo mari emerfit, de quo Cælo cecidit*, &c. ad Evangelicos non pertinet ante, quàm eos Donatianæ hæreseos ostenderit participes, suæque partis adfelas ab ejusdem reatu absolverit, quicumque post Erbermannum defendere voluerit Bellarminum. Neque posterius Evangelicorum sententiam de Ecclesia per aliquot secula latentem facit absurdam, nisi ejusdem absurditatis ream facere velimus Ecclesiam per tria priora post Christum secula latentem & ferè subterraneam. Latuerunt quidem Confessores hominibus, sed non Deo. *Confessores*, inquam, non muti & taciti, sed clamantes, publici Veritatis testes, ubi testimonium dicere & Veritatem profiteri fuerunt permissi; & ita quidem constantes, ut confessionem non uno genere cruciatuum, morte etiam variis ex ingenio persecutorum modis illatâ obfignarint, Martyres verè cruenti & sanguine proprio purpurati. De anterioribus seculis profant non unius gentis Martyrologia, quanquam non unius fidei vel auctoritatis. De posterioribus ipse Bellarminus, qua est ingenuitate, testatur, quod Inquisitores, sanguinarii certè, & non nisi crudelissima inferentes supplicia, longo tempore ante *Lutheri aetatem* fuerint in Ecclesiâ hoc tantum miratus, quod non omnes Evangelicæ Veritatis Confessores in eorum manus inciderint truculentas, mirari destituros, si ex ante-actis observasset, olim quoque multos Confessores persecutorum oculos fugisse, eum videlicet in modum, quo tempore Prophetarum maximè Eliæ non centum Prophetæ tantum, sed & septem millia Dei Trinivius cultorum Ahabo & conjugi Isabellæ, curiosissimis verò fidelium inquisitoribus & persecutoribus gravissimis ignorabantur, quibus nomen Confessorum denegare esset res omni ex parte indignissima. Nimirum noluit vel tum, vel postmodum Deus omnes sui Nominis confessores in manus venire hostium, Martyriique coronâ ornari, ne videlicet in totum coetus fidelium pereat, nemoque superfit Ecclesiæ verè Catholicæ filius, quam promissionibus egregiis sultam esse & niti, ex utriusque Testamenti oraculis scimus. Est autem insignis malitiæ, vel ut mollissimè dicam, infestitæ argumentum, quod Bellarminus in Dilemmatis à se propositi tractatione non erubuit effutire, *Confessorum ante Lutheri tempora nullum esse vestigium, nullam existare eorum hic vel ibi memoriam*, cum solus testium Veritatis Catalogus & Memorabiles *Volfii* Lectiones per sex & decem secula deductæ contrarium orbi verò Catholico ob oculos ponant, de quibus scriptis etsi injuriosè satis antehac judicaverit Antimartyres Papæi, hodie tamen Dei gratia per Bibliothecarum tam singularium, quam publicarum incrementa in eum res devenit statum, ut quæcunque testimonia dubiâ vel nullius etiam auctoritatis videbantur, protractis in lucem documentis Authorum nunc supra omnem suspicionis statum posita videantur. Præterito quidem seculo jam fuerunt, qui ab adversaria parte Catalogos Catalogis opponere sunt donati,

donati, neque hoc seculum ita sterile videri voluit, ut non Indicibus publicis similes librorum titulos insereret, scriptoribus Antievangelicis in eo quoque operam collocantibus, ut *Catalogis testium Veritatis* superbire possint; quibus tamen non inspectis facile licet divinare, talem esse eorum laborem, quo Authores tanquam minus necessario superfedere, tempusque studio utiliori impendere potuissent, nemine ex Evangelicis in dubium vocante, quod per aliquot secula plerique Doctores à Veritatis Evangelicæ via devii ea publicè docuerint & scripserint, quæ hodiernum à Romanensibus doceri & defendi ferio dolemus, hoc tantum ostendentes, nunquam ita errores obtinuisse, ut non mediis in tenebris aliqui semper veritatis radii fuerint observati, quos Ecclesiam non omnino interiisse testatos adseveramus.

Ad tertiam nunc accedimus Notam, quæ à secundâ hac non adeo multum distat. Eam Bellarminus dicit esse *Durationem diuturnam nec unquam (hactenus) interceptam vel interrumpendam, cum Ecclesia dicatur Catholica, non solum quia semper fuit, sed & quia semper erit.* Quem verò ad modum hanc durationem perpetuam dicit esse Ecclesiæ verè Catholicæ notam, ita è contrario subintelligit, Ecclesiæ falsæ notam esse durationem minus diuturnam. Hunc in finem Augustini. uritur vel potius abutitur autoritate, in enarratione Psalmi post quinquagesimum septimi, vel juxta Ebræos octavi, verba, ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens, hunc in modum explicantis: *Non vos terreant fratres quidam fluvii, qui dicuntur torrentes. Hiemalibus aquis implentur. Nolite timere. Post paululum transit, decurrit aqua; ad tempus perstrepat, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multæ hæreses jam mortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt rivus, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* At nihil in his verbis Augustinus habet de nota Ecclesiæ vel Veræ vel falsæ, qui tantum auditores suos solatur contra impetum sui temporis hæreticorum, ne minis eorum terri nimirum se patiantur. Et quamvis dicat, *multas hæreses jam mortuas esse*, non tamen id de omnibus omnium temporum hæresibus dicit neque etiam dicere potuit, nisi sibi met ipsi contradicturus vel scripturus. Si enim, quæ alibi Augustus Doctor de Ecclesia falsâ Ecclesiæ verè Catholicæ opposita scripsit, diligenter perpendamus, eum hanc Ecclesiæ notam, quam Bellarminus hic exhibet, durationem videlicet perpetuam, pro Ecclesiæ verè Catholicæ notâ, quâ ab Ecclesiâ falsâ discerni possit & debeat, non agnovisse videbimus. Ita autem sanctus Pater in enarratione Psalmi post sexagesimum primi, vel secundum Ebræos secundi, ad verba, *Honorem meum cogitaverunt repellere*, de utriusque Ecclesiæ statu & duratione loquitur: *Vna civitas & una civitas, unus populus & unus populus, Rex & Rex. Quid est una civitas & una civitas? Babylonia una, & Hierusalem una. Quibuslibet aliis etiam mysticis nominibus adpellatur, una tamen civitas & una civitas; illa Rege Diabolo, ista Rege Christo. Et post aliqua: Illa in terra quasi major est tempore, non sublimitate, non honore. Civitas illa prior nata, civitas ista posterior nata; illa enim incipit à Cain, hæc à Abel. Hæc duo corpora sub duobus Regibus agentia, ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem seculi, donec fiat ex commixtione separatio, & alii ponentur ad dextram, alii ad sinistram. Iterum post multa: Mala civitas ab initio usque in finem currit, & bona civitas mutatione malorum conditur; & sunt dua civitates ista interim permixta, in fine separanda, adversus se invicem confligentes, una pro iniquitate, altera pro Iustitiâ, una pro vanitate, altera pro Veritate.* Et quia totum de Civitate Dei opus hoc præprimis argumentum & prolixissimè quidem transeat, ideò operæ erit pretium, simile ex eo adscribere testimonium, ut constans sancti Doctoris & Patris augustissimi sententia eo manifestior evadat, quæ hunc in modum ibi exprimitur: *Genus humanum in duo genera distribuimus, unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum vivunt, quas (vel quæ) etiam mysticè adpellamus civitates duas, hoc est, duas hominum societates, quarum est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum subire supplicium cum Diabolo. Sed iste finis est earum, nunc autem mihi adgrediendus videtur earum excursus, ex quo illi duo genera cæperunt, donec homines generare cessabunt. Hoc enim tempus universum sive seculum, in quo cedunt morientes succeduntque nascentes, istarum civitatum excursus est. Ante etiam, quàm operi huic manum admoveret Augustinus, ita hoc de argumento mentem suam proposuit: Duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus, alter communi consulens utilitati propter supernam societatem, alter etiam rem communem in propriam redigens potestatem propter arrogantem domi-*

lib. 15. c. 1.

lib. II. de Gen. ad lit. cap. 15.

nationem; alter subditus, alter Deo æmulus; alter tranquillus; alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium, præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicus, alter invidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subicere proximum sibi; alter propter utilitatem proximi regens proximum, alter propter suam, præcesserunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & distinxerunt conditas in genere humano Civitates duas, sub admirabili & ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis & ordinantis, alteram iustorum, alteram iniustorum, quarum etiam commixtione quadam temporali peragitur seculum, donec ultimo separentur iudicio, & altera bonis Angelis conjuncta in Rege suo vitam consequatur æternam, altera malis Angelis conjuncta in ignem cum Rege suo mittatur æternam. Et ne hæc doctioribus solum præscripsisse videatur, similia & eadem ferè alibi simplicioribus etiam inculcavit, scribens: *Due civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem seculorum perducuntur, nunc permixtae corporibus, sed voluntatibus separate, in die iudicii verò etiam corporibus separanda.* Satis inde sufficienterque patet, quæ Augustini de hac Ecclesiæ Nota fuerit constans sententia, ut frustra fuerit Bellarminus, dum ea, quæ Augustinus de sui temporis hæresicon brevi duratione suis auditoribus pro consolatione inculcavit, ad omnes omnium temporum hæreses, omnemque Ecclesiam falsam, Augustino invittissimo traxit, mentem ejus apertissimè pervertens, quem Ecclesiæ falsæ eandem cum Ecclesiâ verâ in hoc seculo durationem adscripsisse, ex adductis manifestum est. Illud Augustini dictum, quod Bellarminus sub finem capituli de hac Nota ageris laudat, quia ad successorem Episcoporum provocat, de qua proximè in examine peculiaris Notæ sententia erit dicenda, coram reservatur.

de cath. rudibus c. 19.

Intercedit nunc Nota numero quarta, sistens amplitudinem sive multitudinem & varietatem credentium. Ut id ritè intelligatur, hæc statim explicationis loco subiungit: *Ecclesia enim verè Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed & omnia loca, omnes Nationes, omnia hominum genera.* Addit præterea ex Augustino observanda duo, primum ex sexto capite libri de Unitate Ecclesiæ, ut *Ecclesia sit Catholica, in primis requiri, ut non excludat ulla tempora, loca vel hominum genera, ut potè in quo distinguatur à synagoga, quæ fuerat Ecclesia particularis, non Catholica, adligata nimirum uni temporis, id est, usque ad Messiam adventum, item uni loco, id est, templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare, & uni familia, id est, filiis Jacob.* Hæc uti audacter Augustino adscribit Bellarminus, ita si ipsum evolvas locum ab eo citatum, nihil his simile ibi invenies. Quamvis enim, quæ de ratione Catholicismi ac ejusdem denominatione hic leguntur, neque Augustino, neque evangelicis sint contraria; tamen quæ de differentia Ecclesiæ Veteris Testamenti ab Ecclesia Novi addit, quasi hæc ab illa tanquam Catholica & universalis à particulari sit distinguenda, ac Ecclesia Veteris Testamenti ab omni elogio Catholicismi removeri debeat, nescio, an ex Augustino ostendi satis luculenter possit. Is certè locus, ad quem Bellarminus provocat, Catholicismum satis apertè eidem adscribit, verba Dei Abrahamo Patriarchæ multiplicationem posterorum, in quibus Ecclesia Veteris Testamenti fuit conservata, promittentis ita explicans: *Erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur super Mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem.* Post quæ Donatistas angulares ita adloquitur: *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedicti.* Ubi Doctòr augustissimus expressè Ecclesiam utriusque Testamenti sub uno eodemque Catholicismi elogio comprehendit & conjungit, nullo autem modo separat vel sejungit. Clarius alibi hoc deduxit sanctus Pater, contra Porphyrium defendens universalitatem Viæ vel religionis Catholicæ, ad utriusque Testamenti fideles pertinentem: *Hæc est liber andorum credentium universalis via, de qua fidelis Abraham divinum accepit Oraculum, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Qui fuit quidem gente Chaldeus, sed ut talia perciperet promissa, quod ex illo propagaretur semen dispositum per Angelos in manu Mediatoris, in quo esset ista liberanda anime via universalis, hoc est, omnibus data gentibus; jussus est discedere de terra & de cognatione sua & de Domo Patris sui. Tunc ipse primitus à superstitionibus Chaldaorum liberatus unum verum Deum sequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credit. Et post aliqua, in quibus varia de hujus viæ Catholicismo ex Prophetarum Oraculis collegit testimonia, hæc notanter subjunxit: *Via ergo ista non est unius gentis, sed universarum gentium, & lex verbumque Domini non in Sion & Hierusalem reman-**

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 32.

remansit, sed inde processit, ut se per universa diffunderet. Quæ ultima Augustini verba etiam ad Catholicismum Novi tantum Testamenti pertinere videantur, in antecedentibus tamen ita utriusque Ecclesiæ & religionis tanquam viæ universalis connectio ostenditur, ut idem elogium ad Augustini mentem neque Veteris Testamenti Ecclesiæ omnino denegari possit. Ut ad eò falsum sit, quod Bellarminus, quasi ex Augustini sententiâ, scripsit, Ecclesiam Veteris Testamenti, quam dicit falsò particularem, adligatam fuisse uni tempori, loco & familiæ, cum utrobique in Novo & Veteri Testamento, doctore Augustino, eadem sit Via, & universalis quidem, id est, Catholica; id quod Bellarminus facile potuisset agnoscere, si quæ ex Dei Instituto fuit Veteris Testamenti Ecclesiæ, diverso tempore & loco, addo, & in familiis extra-Jacobæis, præsertim quoad Profelytorum conditionem status, ex Antiquitatibus Bibliæ discere studuisset. Equidem diffiteri non possum, in *Ludovici Vivis* ad citatum caput Commentarii sequentia legi: *Hæc est pietas nostra, quæ ideo Catholica nominatur, quod non certo alicui populo tradita est, ut Judaica, sed toti humano generi, nec ullum excludit, omnibus per hanc salvus esse licet, & sine hac nulli.* Et fatendum insuper est, citari hæc Verba hinc inde, quasi ipsius Augustini essent; cum ut monui, sint *Ludovici Vivis*, eruditissimi aliàs in Augustinum Commentatoris, qui tamen parus cum Augustino auctoritatis non est, neque hic in parem cum eo census venit. Sequitur nunc secundum, quod circa quartam Ecclesiæ Notam Bellarminus observandum monet ex Augustino, ejusque octogesima ad Helychium Epistolâ, *Ecclesia ut sit Catholica, non requirit, ut sit in omnibus locis totius Mundi, sed tantum, ut innovescat omnibus Provinciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus Provinciis aliqui sint de Ecclesia.* Verum & hic Bellarminum non usque ad eò Augustinum ritè suis addidisse partibus, si non aliunde, certè ex argumento Epistolæ, quam laudavit, constare potest. Tractavit in ea non de Statu vel Notis, sed de fine Ecclesiæ militantis vel de die novissimo; in cujus argumenti explicatione prolissima etiam quædam intermiscet, quæ ad illustrandum Ecclesiæ Catholicismum non impertinenter adduci posse videantur, nihil tamen omnino ibidem legitur, quod exinde ad particularem aliquam Ecclesiæ Notam ex amplitudine vel multitudine & varietate credentium, ut Bellarminus scribit, ostendendam referri jure queat, quamvis, quæ Bellarminus, quasi essent Augustini, & tanquam singulariter observanda, Lectori commendat, neque Augustino iterum, neque Evangelicis sint contraria, præprimis si tertium accedat, quod porro ex *Driedone* ad uberiores hujus Notæ intellectum Bellarminus observandum censet, nimirum ad *Ecclesia Catholicismum vel amplitudinem ejus demonstrandam non requirit, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore, in omnibus Provinciis, necessario esse oporteat aliquos fideles, satis enim esse, si fiat successivè.* Ex quo id sequi existimat, quod si sola una Provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo ostenderetur clarè, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto Mundo. Ut enim non dicam vel prolixè urgeam, hæc ratione Ecclesiæ Veteris Testamenti nomen & elogium Catholicismi nullo planè modo denegari posse, nisi diversum ei fundamentum Fidei non sine grandi absurdo adscribere velimus; Evangelicis certè palmam circa Catholicismi verè ita dicti possessionem Papæis non solum juxta hanc observationem facient dubiam, sed & omnino eis præripient, utut invitissimis, eamque sibi met solis pertinaciter, quamvis contra jus omne & debitum adscribentibus. Tertio quidem huic observationi obstare putat Bellarminus, quod videatur per eam incidi in errorem Donatistarum, docentium Ecclesiam fuisse quidem in toto orbe, sed postea ex omnibus Provinciis periisse, & in sola mansisse Africâ, quos Augustinum Concione in Psalmum centesimum & primum, vel juxta Ebræos secundum, secunda reprehendere scribit, addens, *Donatistas in duobus errasse, primo, quod vellent, Ecclesiam eo tempore in Africâ tantum fuisse, quo manifestè in toto adhuc Mundo fructificabat; secundo, quod suam in Africâ Ecclesiam non poterant continuare cum illa, quæ in toto fuerat orbe, &c.* Sed cum supra jam sæpius fuerit demonstratum, Evangelicis nihil omnino, quoad Donatistarum de Ecclesia in solo Africæ angulo latitante errorem sibi proprium, imputari posse aut debere; neque hic quidquam ex illatione Bellarminianâ eis accedit periculi, aut quoad Ecclesiæ Catholicismum vel jactatam amplitudinem detrimenti. Non enim Ecclesiam verè Catholicam ulli adscribimus angulo, dicentes, hic vel ibi est Christus tanquam caput cum suo corpore, id est, Ecclesia, utut non rarò incidisse tempora sciamus, quibus Ecclesia verè Catholica in arcto fuit, quor-

sum pertinet illustris Augustini locus paulò ante è Commentario in Psalmum centesimum & vigesimum octavum vel secundum Ebraeos nonum laudatus, ubi de Ecclesiæ invisibilitate actum fuit, & ipse Bellarminus in tertia hac observatione ex *Driedone* agnoscere & fateri coactus fuit; neq; etiam deest nobis, quo minus nostrorum, ubiubi sunt, Ecclesiarum ab ecclesiis Apostolicis derivationem & cum iis quoad fidei capita continuationem, ipsam videlicet Doctrinæ successionem ostendere possimus, quidquid etiam sit de successione locali & personali, cujus gloriam omni modo sinceram & interruptam, num Papæ verè sibi possint adscribere, & si id, num exinde veritas Doctrinæ tanquam ex singulari Nota possit agnosci, in proxime sequentibus videbitur. Nunc id breviter addimus, quod Bellarminus *quarto & ultimo* circa hanc Ecclesiæ Notam à se tanto opere jactatam amplitudinem videlicet, sive multitudinem & varietatem credentium, quæ non parum cum elogio Catholicismi videtur convenire, observata dignum judicavit, *quod nimirum, etsi Ecclesia non necessario debuerit simul esse in omnibus locis, hoc tempore tamen debeat necessario vel esse vel fuisse in majori parte orbis terræ, quia omnium, hæreticorum quoque consensu Ecclesia jam senuerit, quæ, si in adolescentia & juventute sua non crevisset, vix nunc in senectute cresceret; oportere igitur, ut jam creverit atque occupaverit, si non totum orbem terrarum, at magnam certe partem.* Quid ad observationem hanc possit vel debeat responderi, ex antecedentibus manifestum satis est. Id solum nunc sub censuram vocari debet, quod ad hujus illustrationem ex Augustini etiam autoritate porò adducit, scribens: *Nostram Ecclesiam occupasse orbis partem maximam & esse verè Catholicam, ita probatur; nam tempore Apostolorum in toto Mundo fructificare cepit, ut*

Coloss. 1.

*Paulus testatur, item tempore Irenæi erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes Provincias tunc cognitæ, id quod ipse refert. Idem postea refert de suo tempore Tertullianus, idem postea Cyprianus, idem postea Athanasius, idem postea Chrysostomus, Hieronymus & Augustinus, &c.* Ego ad hæc præter alia tantum Bellarmini contradictionem nunc attendo, supra quoque, ubi de Antichristo nondum revelato agebatur, notatam, qui, ubi Antichristum in S. Literis descriptum adhuc nondum venisse probare voluit, inter Notas ejus & signa, ex quibus eum venisse possit constare, primo posuit loco universalem Evangelii in toto terrarum orbe prædicationem, quam Augustini tempore nondum fuisse factam, ex eodem loco demonstrare fuit conatus, ex quo hic Catholicismum & amplitudinem ecclesiæ verè Catholicæ, Augustini etiam tempore manifestam ostendit, ante à se scriptorum quam maxime immemor, & sibimet ipsi hæc etiam ratione contradicens & scribens, quod hic iterato notandum fuit.

Succedit jam Nota ordine *quinta*, exhibens successionem Episcoporum in Ecclesia Romana deductam ab Apostolica usque ad tempora præsentia, quo argumento tanquam evidentissimo omnes Veteres ad Ecclesiam veram ostendendam utòs esse scribit Bellarminus, exque eorum numero Augustinum quoque, eum in finem Pontifices Romanos enumerantem è Petro usque ad Anastasium, qui tunc sedebat, in ad *Generosum* Epistola post centesimam sexagesimam & quinta; alibi etiam, videlicet in Psalmo contra partem Donati ita scribentem: *Numerata Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superba Inferorum porte.* Accedit locus non semel hætenus ex oblata occasione examinatus, quo Doctòr augustissimus se in Ecclesia inter alia etiam *successione Sacerdotum ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum teneri scripsit; quorum insuper pertinet testimonium, quod Bellarminus ad tertiam Ecclesiæ Notam retulit, quo idem sanctus Pater alibi scripsisse legitur: Dubitabimus, nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen autoritatis obtinuit?* In genere circa hujus Notæ discussionem observari debet, quod ipse Bellarminus ad quartam objectionem secundò notari voluit, *Argumentum à successione legitima adferri præcipue ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non sit successio; ex eo tamen non colligi necessario, ibi esse Ecclesiam, ubi sit successio.* Augustini autoritatem quod attinet, quem hic & ibi ad Episcoporum in Ecclesia successionem provocasse excitatis manifestum est testimonium, eum tamen non tam neque solum ad personalem & localem, quam potius & imprimis ad doctrinalem respexisse successionem, accuratior locorum à Bellarmino laudatorum inspectio & ponderatio nunc docebit. Et *primus* quidem ab Augustino ita conceptus est, ut non sub absolutâ, sed conditionata quadam significatione intelligi debeat. Verba autem, quibus

contra  
Epist.  
Fund. c. 4.de Util.  
cred. c. 17.

quibus in citata ad Generosum Epistolâ usus est Augustinus, & quæ huc imprimis pertinent, hæc sunt: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesie figuram gerenti Dominus ait, super hanc Petram &c.* Data scilicet opera Bellarminus & singulari studio hæc Augustini verba citare omisit, ne fraus pateret ac nullitas hujus suæ demonstrationis manifesta fieret. Nimirum ad hominem disputavit Augustinus, ostendens, si Donatistæ hoc argumento uti & gloria successione Episcoporum superbiire vellent, tunc paratam sibi & verè Catholicis esse victoriam, qui tunc cum sede Romanâ communicabant, ob successionem videlicet Episcoporum sibi invicem ibi à Petro succedentium, ipsis Donatistis non negandam, utut inter tot Episcopos, qui ad illud tempus sedem Romanam occupant, nullum Donatistam invenire & nominare potuerint. De cætero hoc Augustinum primariò non attendisse, ipse in cursu Epistolæ satis clarè ostendit, notanter scribens, *Nos non tam de istis documentis præsumimus, quàm de scripturis sanctis, ubi hæreditas Christi usque ad terminos terræ promissa est in omnibus gentibus.* De secundo Augustini testimonio ex Psalmo ejus contra partem Donati delumto supra jam aliquid dictum fuit, ubi de Petra Ecclesie mentem ejus ex non uno locorum studiosè investigavimus. Nunc illud solum addere necessum est, inde præprimis patere, sanctum Patrem non tam localem & personalem, quàm doctrinalem hic etiã attendisse successionem, quia ad eam provocavit promissionem, quæ non locum & personam, sed ipsum Ecclesie corpus respexit, ut ex citatis ibidem pluribus testimoniis manifestum est. Quoad tertium ejusdem augusti Doctoris locum valde vexatum & non semel hæctenus tractatum illud insuper notari debet, quod sicut loco Motivi cum aliis pluribus contra Manichæos non impertinenter successio Episcoporum ab Augustino fuit commendata, qua se in Ecclesie gremio teneri, ne ad Manichæos redeat, falsus est; ita eum suo adhuc tempore ad hanc Episcoporum successionem potuisse contra eosdem provocare, utpote melius longe, quàm hodie post duodecim ex hinc secula florentem, utut nec hujus per se gloriam Augustinus se quæsiturum ingenuè agnovit, si veritatis elogio quidquam apud pertinacissimos antagonistas impetrare potuisset, suæque communionis statum ipsis commendabilem reddere. Idem ferè dici debet ad quartum sancti Patris testimonium, quo contra eosdem hæreticos successione Episcoporum se munivit, nulla certè alia ratione, quam qua in antecedentibus eum observavimus adversarios ex propriis q. & domesticis argumentationibus & principiis convincentem. Vidit id, quod proximè diximus, & prævidit Bellarminus, dum hanc quinto adjecit objectionem, Veteres Patres, interque eos Augustinum, qui ostendunt, Ecclesiam ex successione Pontificum, id facere, quia illis temporibus constabat, non fuisse mutatam fidem & religionem in Ecclesia Romana, at nunc contrarium constare. Sollicitus hinc etiã fuit, ut objectioni huic satis posset facere, Dilemma iterum proponens & reponens: *vel intelligi, constituisse eo tempore Catholicis tantum, vel Catholicis & hæreticis simul, quod in Romana Ecclesia nondum esset mutata religio. Si primum adsumatur, nihil dicit, nam hoc tempore etiã constare Catholicis, non esse in Romana Ecclesia mutatam religionem. Si secundum adseratur, apertum committi mendacium; nullos enim fuisse hæreticos, si semper omnes putassent, in Romana Ecclesia esse veram fidem.* Sed ut Dilemmatis hujus futilitatem nemini non conspicuam mittamus, operæ pretium erit videre, quid ad ejus confirmationem ex Augustini promptuario conferat, hæc ejus contra Petilianum Donatistam verba proferens: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet? cur Cathedram Apostolicam adpellas cathedram pestilentia?* Ubi notandum est, omittere Bellarminum in hujus testimonii citatione aliquid, quod si non omisisset, ad suas partes testimonium trahere non potuisset. Integer autem textus ita habet: *Si omnes per totum orbem Ecclesie vel Cathedre tales essent, quales vanissimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet; vel Ecclesie Hierosolymitanae, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Iohannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis?* Latere voluit Lectorem Bellarminus, quod Augustinus Ecclesie Hierosolymitanæ idem elogium cum Romana quoad successionem Episcopalem attribuit, ac utrique in unitate Catholica se connecti professus est, quod non nisi ob successionem doctrinalem credere par est factum esse. Addamus ex eodem loco sequentia, quæ ad alia porrò observanda manu quasi nos ducent. Ita autem in proximè sequentibus Petilianum Dona-

lib. II. con-  
tra liter.  
Petil. c. 51.

tistam porro adloquitur sanctus Pater: *Quare Cathedram Apostolicam adpellas cathedram pestilentie? Si propter homines, quos putas Legem loqui & non facere, numquid Dominus Iesus Christus propter Phariseos, de quibus ait, dicant & non faciunt, Cathedrae, in qua sedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Moyses cathedram commendavit, & illos servato cathedrae honore redarguit? At enim, Cathedram Moyses sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, Cathedram blasphemaretis Apostolicam, cui non communicatis.* Non repeto hic, quæ sæpius jam inculcavi, nullum omninò Evangelicis cum Donatistarum erroribus, contra quos egit Augustinus, esse commercium; adeoque nullo planè modo ea, quæ Augustus Doctor iis opposuit, nobis officere; ea tantum nunc addo, quæ idem alibi ad laudata Christi contra Phariseos verba notavit, scribens: *Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos. Scribæ & Pharisei, inquit, super Cathedram Moyses sedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem Pastoris audite; sedendo enim super Cathedram Moyses legem Dei docent, ergo per illos Deus docet.* Videntur hæc quidem in rem esse Papæorum, ac Cathedræ Romanensis auctoritati non parum infervire. Sed si sequentia perpendamus, mutanda erit sententia, Augustino hæc subnectente: *Sua verò illi si velint docere, nolite audire, nolite facere; certè enim tales sua querunt, non quæ Iesu Christi.* Quem ergo ad modum ex Augustini sententia Christus suo tempore Judæos ad Phariseos in Cathedra Moyses sedentes ablegavit, mandans, ut eos audirent iisque obtemperarent, quando Dei legem docerent & populo ritè explicarent, secus, si sita, id est, vel Patrum vel proprias traditiones proponerent, nullo tum modo audiendi, tanquam non Christi, sed sua & propriam querentes gloriam; ita quamvis suo adhuc tempore Augustinus & cæteri tum Ecclesiæ Doctores cum suis auditoribus quoad fidei doctrinam in unitate Catholica cum Ecclesia Romanensis, non quidem solâ, sed & aliis, nominatim & in specie Hierosolymitanâ, (de cæteris supra vidimus) connectebantur, eosque partim pro hæreticis, partim pro schismaticis habebant, qui ab hac unione Ecclesiastica (de qua proxime pluribus videbitur) separati singulares facerent cætus, ac corpus Ecclesiasticum comete ipso miserime lacerarent, esse tamen debet indubium, si Augustino hodie Romanensis Ecclesiæ faciem & statum accuratius contemplari concederetur, ac videre, quantum à se duodecim seculorum intervallo esset mutata, aliter longe eum de ea iudicaturum, & seposita successione personali & locali, quæ tamen non unis deformata conspiciuntur Lacunis, plus respecturum ad successionem doctrinalem, atque æstimaturum majoris eam Ecclesiæ Notam, quæ ab eo alias tam insignibus elogis fuit commendata, scripturarum dico sacrarum harmoniam & consensum, quas tum quoque certum est ad Augustini mentem prævalere, cum Bellarminus porro nunc ad sextam provocat Ecclesiæ Notam, quam esse dicit conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua. *Vera enim Ecclesia dicitur Apostolica, inquit, non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt.* Bene hæc & ad sententiam non Tertulliani solum, quem laudat, sed & Evangelicorum, quos in hoc etiam puncto Augustini vestigia premere, ex antecedentibus claret. Quæ autem subjungit Bellarminus ad uberiores hujus Notæ illustrationem, non æquè probari possunt, cum à prioribus longissimè abeant. Id nunc solum observo, Bellarminum entia præter necessitatem multiplicare, dum sicut peculiarem paulò ante Notam dixit esse amplitudinem sive multitudinem & varietatem credentium, quam sub Catholicissimi Nota comprehendere potuisset, eam non nisi per verum ejus sensum explicans; ita hic quoque peculiarem Notam constituit conspirationem cum Ecclesia antiqua, quæ tamen nihil aliud, quam ipsam exhibet antiquitatem, supra jam examini subjectam, ubi ex Augustini testimoniis à Gratiano collectis ostensum fuit, quid de antiquis consuetudinibus, ad quas Papæi Doctores non rarò provocare solent, haberi debeat. Addo, quia Bellarminus pro certo haberi vult, *antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram fuisse Ecclesiam, & proinde Apostolicam retinuisse doctrinam,* quid Augustinus statuerit circa auctoritatem Ecclesiæ Doctorum, ex quo idem Gracianus sequens testimonium Juri Canonico inleruit: *Quis nesciat, sacram scripturam Canonicam tam veteris quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constituerit* Episco-

Tract. 46.  
in Joh.

conf. supra  
lib. III. de  
verbo Dei,  
cap. 3. &  
seqq.

vid. Vin-  
dic. Evang.  
Thomist.  
sect. IV.  
cap. 10.

distin. 9.  
c. quis ne-  
sciat.

Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiore cujuslibet in ea re peritoris, & per aliorum Episcoporum graviolem auctoritatem doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à Veritate deviatum est. Alia lubens & brevitatis causâ prætereo hujus sancti Patris testimonia, quæ vel Gratianus collegit, vel supra jam ad scripturæ auctoritatem demonstrandam sunt adducta, quibus non tantum sibimet ipsi, sed quibusvis etiam scriptoribus aliis hanc detraxit auctoritatem, ad solam scripturæ Prophetico-Apostolicæ antiquitatem semper provocans, inque ejusdem solius auctoritate spem victoriæ contra omnes fidei & veritatis hostes collocans. In hoc dum Augustino consentimus, nihili ducimus, quidquid Bellarminus ad qualemcunque antiquitatem & exinde auctoritatem Romanensi Ecclesiæ & in ea doctrinæ conciliandam, omnemque Ecclesiis & in iis doctrinæ Evangelicorum omnibus modis denegandam prolixissimè adducit, sibi & suis non Musis canens, atque cum variis hæreticorum larvis pugnans, quibuscum Evangelicis in aperta luce per Dei gratiam versantibus nihil unquam fuit commercii, aut erit. Facillimum esset ex jure talionis agere, & ex solo Augustini de hæresibus libello ostendere, si antiquæ hæreses, quod suum est, ex Ecclesiæ Romanensi auferrent, parum in eâ relictum iri; nisi id dudum ab aliis præstitum esset, justo nominatim Commentario de Apostasia Ecclesiæ Romanensis à Theologo celebri Nicol. Hunnio, quam à suis partibus remove, innocentiamque causâ contra graves hæc accusationes testari hæcenus nondum potuerunt, quorum inter-omnino fuit, ne tot hæresiarcharum filii & successores videantur, quos aliàs in scriptis non-nisi gravissimè detestari solent.

vid. D.  
Geih. de  
Ecclef.  
num. 207.  
seqq.

conf. D.  
Dannh.  
Hodom.  
Phant. II.  
pag. 495.  
seqq.

Ad septimam nunc Ecclesiæ Notam nos vocat Bellarminus, unionem videlicet membrorum & cum Capite & inter se. Illam dicit subjectionem, hanc verò Concordiam. Utramque Ecclesiæ notam esse, ex Augustino contendit. Multa iterum hic observanda essent, nisi ratio Instituti solius Augustini auctoritatem atterere nos juberet. Videamus ergo, num aliquid novi ex eo Bellarminus adferat, & quid sanctus Doctor de utraque hac unione statuerit. Et primam quidem, videlicet unionem membrorum cum Capite, duobus augusti Patris probare tentat testimoniis, quorum prius desumptum est ex secunda post centesimam & sexagesimam Epistola, in qua de Cæciliano, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, contra quem, ut in innocentem, Donatistæ plurimos concitarunt motus, sequentia Augustinus scripsit, causam ejus non parum adjutura: *Possit non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus, per communicatorias literas esse conjunctum.* Ita quidem Bellarminus citat Augusti verba. Sed si ipsum Augustini locum, unde ea Bellarminus citavit, evolvamur, cur citantis fidem quam-maximè iterum desideremus, in manifesto habebimus. Prolixè is supra occasione oblata fuit productus & vindicatus, ubi de Regimine Pontificis Romani Monarchico fuit agendum. Nunc ad ea tantum est respiciendum, quæ huc propriè videntur pertinere. Ita autem verba Augustini integra habent: *Possit non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret ET Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolica Cathedra viguit Principatus, ET cæteris terris, undè evangelium ad ipsam venit Africam, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset suam dicere causam, si adversarii ab eo illas alienare conarentur Ecclesiis.* Ut fraus mutilatæ citationis à Bellarmino factæ eo apertior sit, notandum est, Bellarminum in se suscepisse demonstrandum, apud Veteres semper fuisse habitam pro notâ veræ ecclesiæ conjunctionem cum Romano Pontifice. Id ut probet, præter Irenæi, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Optati Milevitani, ad præscriptum quoque Augustini testimonium provocat, sed ita, ut id minus sincerè omitat, quod suæ demonstrationi obfuturum prævidit. Videlicet, mentionem Romanæ sedis & Cathedræ facit quidem Augustinus, ei inter Cathedras, quæ tum adhuc non incognitis de causis dicebantur apostolicæ, aliquem adscribens Principatum, quamvis non Monarchicum, ut loco proximè citato prolixius fuit ostensum; sed non hujus solum meminit, sed aliarum quoque terrarum, in quibus itidem apostolicæ tum adhuc Cathedræ floruerunt, deque eis post Terullianum æquè ac de Romanâ testatas, quod evangelium indè ad ipsam venerit Africam, nec de Romana solum, sed de cæteris etiam significans,

quod Cœcilianus, Ecclesiæ Carthagenensis Episcopus, cujus causam ipse Augustinus contra Donatistarum calumnias & criminationes defenderat, non pro se solum, sed & pro Ecclesia, cui præfuerat, (id quod de reliquis etiam in Africa Ecclesiis, earumque Episcopis adhuc orthodoxis, atque adeo de Augustino etiam & Ecclesiis eidem commissis intelligi debet) per literas, quæ ad differentiam aliarum communicationis dicebantur, iis fuerit conjunctus, id est cum iis in unitate vixerit Catholica, quam Cypriano aliis non semel nec sine laude, contra eosdem Donatistas agens adscripsit. Egit de antiquo Epistolarum Ecclesiasticarum genere, ut hoc obiter inferam, antehac ex professo & peculiari Commentario *Bernardinus Ferrarius*, Collegii Mediolanensis Ambrosiani Doctor, libri primi capite septimo has in specie literas evolvens *Communicatorias*, sed ita, ut juxta methodum Bellarmini Ecclesiæ Romanensis inde aliquam adscribere possit Prærogativam, id quod ad reliqua etiam Epistolarum genera primario attendi voluit, nec per rationem status, in quo vixit, aliter potuit. Prodidit suum hoc Institutum eo præprimis, dum de harum epistolarum formam agens, illud signum observatum dignum existimavit, quo signatas & singulariter notatas scribit epistolas literis *π. τ. α. π.* indicans, tres priores literas fuisse adhibitas ad significandum *SS. Trin-unitatis Mysterium* in persona Patris, Filii & Spiritus S. contra nefandos Arianos & aliorum ejus generis hæreticorum errores; iis verò additam esse quartam, videlicet personam Petri Apostolorum principis exprimentem, eum in finem, ut ille demum verè Catholicus esse probaretur, qui ejus successoris communionem esset conjunctus, is verè hæreticus atq; schismaticus, cui Romanæ sedis communicatio denegaretur. Scripsit hæc Doctor hic Ambrosianus Anno hujus seculi post decimum secundo, seductus sine dubio ab iis, qui ad stabilendam Petri & successorum ejus auctoritatem quævis etiam impertinentissima soliti sunt corradere & compilare, sed post maturiori accedente judicio, ut videtur, penitentiam ductus, quæ imprudenter aliis persuadere est conatus, non obscure retractavit in posteriori *de ritu sacrarum Concionum* Tractatu, qui intervallo Annorum quinquaginta & quod excedit, nuper demum Parisiis prodit, nescio an primum excusus, an verò recusus in quo prioris quidem de antiquo epistolarum genere scripti non immemor, præscriptas tamen Græcorum literas, nullam prorsus Petri mentionem factam, non nisi de divinis tribus Personis, explicavit, id quod hac occasione prætermitti non debuit. Nunc ad laudandum à Bellarmino testimonium Augustini prius, ex cujus integra citatione satis est apertum, non tantum minus sincere illud fuisse à Bellarmino adductum, sed & si integrè consideretur, nulla ratione ad id probandum pertinere, cujus gratiâ Lectorum oculis in Augustino non ita versatis ad fallendum fuit propositum. Posteriori testimonio Augustinus juxta Bellarmini adlegationem Donatistas ita adfatur: *Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videamus præcisos ita jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superba Inferorum porta. Quod duplex illud elogium quo Romanam sedem Augustinus mactare videtur, atinet, dum ei successione & Petre firmitatem adscribit, & supra & paulò ante de utroque actum est. Id nunc tantum est super, ut videamus, num Augustinus de necessitate infisionis in vite agens, ad Pontificem Romanum, & non potius ad Christum, ex ipsa Christi doctrina tanquam Vitam veram respexerit, eidemque Donatistas ob periculosissimum schisma præcisos iterum inferi optaverit. explicavit hanc mentem suam in proximè antecedentibus, Donatistas sequentem in modum adlocutus: *Sertis, Catholica quid sit, nimirum ecclesia, & quid sit præcisum (esse) à vite. Si qui sunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice, ante quam nimis ardeant. jam liberentur ab igne.* Posito, habuerit suo tempore Augustinus aliquem Romæ respectum, non parvi æstimans successione episcoporum eousque sine notabili intervallo continuatam; non aliam tamen rationem factum id est, quam quia sedes Romana in doctrina Petri tunc adhuc firma perstitit, eumque aliis Ecclesiis in Unitate Fidei conjuncta vixit, Christoque viti per fidem insita; à quo tempore ad præsens tempus argumentari, ejus Apostolicæ ratio, cujus ad præcedentem Notam mentio est facta, nullo planè modo permittit. Quoad secundum verò hujus Notæ partem, videlicet unionem membrorum inter, ad quam omnibus modis commendandam Bellarminus præter rem tot ex Augustino documenta collegit, in primis ex illustri opere ejus de Civitate Dei, cum & evangelici pro re singulari & planè divinam agnoscant cum Augustino, quod auctores in*

vid. lib. 1.  
cap. 5.

vid. lib. 1.  
cap. 11.

Psalmo  
contra  
patrem  
Donati,

lib. 18. de  
Civ. Dei,  
cap. 41.

se dif-

*se dissentiant, ut alia plura prolixè hic non repetam; illud tamen præprimis venit at-  
tendendum, non esse hanc membrorum Ecclesiæ militantis inter se unionem ita ex  
omni parte perfectam omnibusque numeris absolutam, ut non aliqua scissiones &  
controverfiæ intercedant. Notanter hanc in rem eodem in opere Augustinus: Pu-  
gnant inter se mali & mali, item pugnant inter se boni & mali; boni verò & boni, si sunt  
perfecti, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem nondumq; perfecti ita possunt,  
ut bonus quisq; ex ea parte pugnet contra alterum, quàm etiam contra semet ipsum. Et in  
uno homine caro concupiscit adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem. Concupi-  
scentia ergo spiritalis contra alterius potest pugnare carnalem, vel concupiscentia carna-  
lis contra alterius spiritalem, sicut inter se pugnant boni & mali; vel certè ipsæ carnales  
concupiscentiæ inter se duorum bonorum, nondum utiq; perfectorum, sicut inter se pu-  
gnant, mali & mali, donec eorum, qui curantur, ad ultimam victoriam sanitas perducatur.  
Fiat hujus testimonii ad præfens Institutum applicatio, & quid de hac Nota sta-  
tuendum sit, non adeò difficulter patebit.*

lib. 15. c. 5.

Ad octavam nunc Ecclesiæ Notam si deveniatur, quam Bellarminus esse dicit  
doctrinæ sanctitatem, illustri testimonio Augustini confirmatam, Evangelicos sibi  
adversarios non habet, ad Augustini verba omni ratione provocantes: *Nihil eis tur-  
pe ac flagitiosum spectandum imitandumq; proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insti-  
tuantur, aut Miracula narrantur, aut Dona laudantur; aut Beneficia postulantur.* Ex  
quibus verbis augustissimi Doctoris simul patet, quo fundamento prætenfa doctri-  
næ sanctitas inprimis niti debeat, nimirum Dei, non hominum præceptis aut tradi-  
tionibus, id quod in proxime antecedentibus ita confirmavit: *Populi confluant ad  
Ecclesias captæ celebritate, honesta utriusque sexus discretionè, ubi audiunt, quam bene  
hic ademptis vivere debeant, ut post hanc vitam beati semperq; vivere mereantur, ubi  
sanctâ scripturâ iustitiæq; doctrinâ de superiore loco in conspectu omnium personant, &  
qui faciunt, audiant ad premium, & qui non faciunt, audiant ad iudicium.* Quorum  
pertinent, quæ supra novis gentilium inventionibus opposuit: *Quis in agenda vi-  
ta, non ea sibi potius sectanda arbitraretur, quæ ætulantur Ludis divina auctoritate  
instituta, quàm ea quæ scriptitantur legibus humano consilio promulgatis?* Nimirum  
ut doctrinæ sanctitas à falsâ veram discernat Ecclesiam, opus est, ut inde derive-  
tur, unde non nisi sancta depromi possunt, ubi ipsum Dei sanctuarium esse est indu-  
bium. Et hæcenus Evangelici rectè docent, dum ecclesiæ veritatem è doctrinâ  
sacræ scripturæ solum demonstrari cupiunt, humanam seponentes auctoritatem.  
Ut adeò circa hanc Notam prolixius versari opus non sit.

lib. 11. de  
Civ. Dei,  
cap. 28.

Ibid. cap. 8.

Nona ergo sequitur Notæ, doctrinæ videlicet efficacia, quam ad Apostolorum  
tempora & usurpatam iis methodum convertendi infideles Bellarminus respiciens,  
sequentibus Augustini verbis commendavit, hic uberius aliquanto laudandis: *Chri-  
stus in eruditos liberalibus disciplinis & omnino, quantum ad istorum (Philosophorum  
gentilium) doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dia-  
lecticâ, non Rhetoricâ inflatos, piscatores cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissi-  
mos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto ra-  
riores, ipsos etiam cepit Philosophos.* Conferat jam Bellarminus, vel cuicumque Ro-  
manensis Ecclesiæ partes defendere libuerit, hanc methodum convertendi genti-  
les Apostolicam, ab Augustino non eleganter minus, quam verè descriptam, vel  
eum methodo à Luthero & fidelibus Parastatis ante hoc sesqui-seculum ad restau-  
randam evangelicæ prædicationis veritatem restituendamq; pristino nitore faciem  
Ecclesiæ adhibita; vel cum methodo modernorum hodiè Apostolorum, ut à suis in-  
debita cum laude audiunt, ad readsumendam gentilium conversionem, maria & ter-  
ras, non sine singularis zeli & animarum lucri jactatione, obambulantium & circum-  
curfantium, prout *Acosta*, ipse non ultimus eorum vel minimus, eam satis apertè &  
ingenuè descripsit, & iudicet, at sincerè & incorruptè, nulloque in favorem suorum  
occupatus præjudicio, utinam major adpareat convenientia, plusque Apostolici spi-  
ritus, id est, quænam doctrina, remotis omnibus mediis, quæ humanam sapiunt in-  
ventionem, sapientiam pariter & potentiam, majori efficacia & virtute ani-  
mos hominum penetraverit eorumque conscientias ita convicerit, ut non  
potuerint non manus dare, seque prædicationi, cui nihil opponi potuit,  
submittere; nullum certe erit dubium, quia Lutherano-Evangelici reforma-  
tores præ Apostolis Indiarum sint obtenturi, utut hi semper more Pha-  
risæorum ob externam incurrentemque in oculos speciem prævidis majori  
adplau-

lib. 22. de  
Civ. Dei,  
cap. 5.

adplausu à semetipsis digni videantur. Post alias plures edita est paucos ante annos *Historica Narratio de Initio & progressu Missionis Societatis Iesu apud Chineses, ac præsertim in Regia Pequinesi, ex literis Iohannis Adami Schall, ex eadem Societate, super præmi ac Regii Mathematicum Tribunalis ibidem Præsidis.* Sed præter Astronomicas inventiones quasdam, Europæis ut plurimum tritissimas, nihil planè ibi notatu dignum legitur, nihil quod genium referat Apostolicum, nisi hic & ibi occurrentibus quibusdam superstitionibus, huic hominum generi non insolitis, singulare quid velis adscribere, quas tamen sub elogio exempli prædicationis Apostolicæ Lectori commendare, esset simplicitate & patientia ejus abuti. Ego hic iterum nisi illud addo nihil, permittant, qui gloriam Apostolicæ ad convertendum homines methodi sibi met ipsis & solis adscribere solent, evangelicis ea methodo, qua Apostoli, teste sancto Doctore & Patre augustissimo, ipsos etiam Philosophos ad Christum adduxerunt, in ejus evangelii prædicatione progredi, quod Apostoli omnibus sub sole populis ex mandato Christi adnuntiarunt; removeant obicem, quem hactenus & prædicatoribus, ne liberè & ubivis loquantur, & auditoribus, ne Veritatem ad aures & animum admittant, intercedentibus armis non spiritualibus, sed carnalibus posuerunt; tollant impedimenta, quibus sine numero animas pretioso Christi sanguine redemptas à Viâ salutis æternæ prohibuerunt, inque non unius generis à vi præsentissimumque æternæ damnationis periculum reduxerunt; abstineant à vi & vinculis, quibus sine exemplo Apostolorum corpora hominum constringunt, ne animus libertate evangelicâ possit gaudere; verbo, sint vel ipsi imitatores Apostolorum, vel alios eorum vestigia premerè non impediant, & nihil erit super, quam ut in mensa solis videant expositam prædicationis evangelicæ virtutem & efficaciam, inter tot obices etiam atque impedimenta non adeo obscuram, ut non oculos eorum sufficienter satis illustrare possit, qui in mero die non cæcutiunt, aut singulari studio oculos non claudunt, ne veritatis salvificæ radii ulla ratione ad animum penetrent, sibi met ipsis media ad finem eumque optimum subtrahentes.

Ad *decimam* nunc ut deveniamus Notam, dicit eam Bellarminus esse sanctitatem vitæ, non omnium quidem, qui sua ecclesiæ nomina adscripserunt, sed in specie Authorum sive primorum religionis Patrum, addita hac explicatione, *quod Ecclesia vera non solum habeat doctrinam sanctam, & efficacem, sed & Doctores sanctos.* Nolo autem rigorosius urgere, quod in explicatione hujus Notæ, quæ in sequentibus uberius est, non sine causa posset desiderari; illud saltem noto, si per Authores & Doctores eosdem intelligit, quos & Magistros dicit, ac in specie nominat Patriarchas, Prophetas, apostolos, nobis iterum hæc non opponi, ut præprimis ad verum veræ Religionis Authorem, sanctissimum videlicet Deum, respici debere consultius ducamus, cujus voluntate de cultus sui ratione per verbi revelationem cognita postmodum non negligimus aut insuper habemus, sed magni omnino æstimamus laudandæ eorum sanctitatis exempla, per quos tanquam Magistros olim & nunc Deus voluntatem suam hominibus patefecit, e quorum numero nullo etiam modo, suo tamen ordine, exclusos volumus eos ecclesiæ Doctores, qui proximis ab Apostolorum tempore seculis hic & ibi vitæ etiam sanctitate conspicui vixerunt, quos tanquam Patres sanctos debito cultu veneramus, augustini verba, quæ Bellarminus ad illustrandum hoc sanctitatis elogium laudavit, nostra etiam facientes. *Isti Episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, invenire non potes, quod spernas. Hi Catholicam Fidem in lacte suxerunt, in cibo sumserunt, ejus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, ac contra inimicos apertissime & fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, edificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.* De cætero, quia laudati ecclesiarum Doctores & Magistri nihil à se humani alienum existimarunt nullam sibi met ipsis perfectæ sanctitatis laudem adscribentes, multò minus eam inter Notas & signa ecclesiæ ponentes, unde veritas ejus posuit & debeat cognosci, & nihilo tamen minus Papæ hoc elogium sibi suisque adtribuunt, omnesque alios à se diversos pluribus modis tanquam omnibus peccatis deditos impudentissimè criminantur, Bellarmino hic scribente, *inter hereticos nullum esse bonum; idè perplacet, quod Augustinus suis quondam Hipponentibus graviter ad animum vocavit: Ecce, docuit vos Deus, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, nec obijciatis hereticis, nisi quia non sunt Catholici; ne similes eis sitis, qui non habendo, quod in causâ suâ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere* adf.

adfectant, & ea ipsa plura falsissima jactant, ut, quia ipsam scripturæ divinæ Veritatem, quâ ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audivistis, & in illo docti estis; ipse quippe fideles suos fecit securos etiam de malis dispensatoribus mala sua facientibus & bona ejus loquentibus, ubi ait: *Qua dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt.*

Ea nunc & quidem numero & ordine post decimam prima succedit Nota, circa cujus examen etiam Augustinus noster est totus, quia tamen ab adversariis etiam in suas partes trahi solet, prolixius aliquanto vindicandus. Exhibet ea *gloriam Miraculorum*, ex quibus tanquam necessariis & sufficientibus signis non solum in genere Veritatem Ecclesiæ vult agnosci Bellarminus, sed & demonstrare se posse existimat, Ecclesiam Romanensem ob jactationem miraculorum esse veram, Evangelicorum verò ob eorundem defectum esse falsam. Dixi, & adhuc semel dico & scribo, Augustinum hic plane nostrum esse. Ne autem id largiatur & concedat Bellarminus, varia ex eo colligit testimonia, quibus eum ad suas trahere partes conatur. *Primum* est, quo Miraculorum necessitatem ad novam Fidem vel extraordinariam missionem persuadendam probare conatus fuit, Augustino scribente, *Miracula fuisse necessaria, ut Mundus crederet.* Atqui in hujus testimonii citatione duplex crimen falsi commisit Bellarminus, eoque & Doctore sancto & Lectore Veritatis cupido insignem intulit injuriam, illi, mentem alienam ad fingens, hunc Augusti Patris autoritate seducens aut seducere satagens. In Vindiciis quidem *Anti-Ottonianis* prolixè hoc Testimonium fuit vindicatum, nec quidquam hactenus à parte adversaria oppositum. Sed ne his quoque Vindiciis quidquam desit, hic etiam venit ostendendum, quam perverse Bellarminus cum Augustino egerit, & quam periculosum aliis exemplum præbuerit, qui in Controversiis hodiè tractandis vitula ejus, tanquam omnis polemicæ eruditionis promi & condi, ut plurimum arare solent, errores etiam fideliter exscribentes, ne ab Antecessoris via ullo planè modo declinasse videantur. Ut duplex hoc crimen falsi Lectore orthodoxiæ studiosius videat; integer Augustini textus citari debet. Proponit autem is sub initium capituli aliquam gentiliū, quibusdam ipsi res fuit, objectionem: *Cur inquit, nunc illa Miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt?* Respondet partim indirectè, partim directè. Indirectè respondet verbis sequentibus: *Possent quidem dicere, necessaria fuisse prius, quàm crederet Mundus, ad hoc ut crederet mundus.* Sequitur egregium quid, quo Augustinus modernorum postulata uno quasi ictu prostravit: *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Et ut perverse eorum mentem ostendat, quibus hic respondet, pro uberiori eorum convictione sequentia subjicit: *Verum hoc idèd dicunt, ut nec tunc illa Miracula facta fuisse credantur, Unde ergo tantà fide Christus usquequoque cantatur in Cælum cum carne sublatus? unde temporibus eruditus & omne, quod fieri non potest, respondentibus sine ulla miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit Mundus? An fortè credibilia fuisse, & idèd credita fuisse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Quot verba, tot Augustini contra iniquos postulatōres argumenta, hodiernum utiliter contra importunos exactores adhibenda. Sed adhuc fortius in sequentibus eos stringit, ubi directè magis ad eorum respondet objectionem: *Brevis est nostra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecerunt fidem, aut certè res credibiles, ut nullis, quibus persuaderetur, Miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem.* Sed notanter addit Augustinus, *hoc ad refellendos vanissimos dixerim.* Et ne id sine causâ dixisse videatur, hæc addit: *Nam facta esse multa Miracula, quæ attestarentur illi uni grandi salubrique miraculo, quo Christus in cælum cum carne, in qua resurrexit, ascendit, negare non possumus; in eisdem quippe veracissimis libris cuncta sunt conscripta, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt, multò clarius innotescunt; leguntur quippe in populis ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur.* Ut verò adhuc propius responsum hocce suum dirigat ad objectionis scopum, hæc subjunxit: *Nam etiam nunc fiunt Miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum ejus; sed non eadem charitate illustrantur, ut tantà, quantà illa, gloriâ diffamentur.* Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat,*

lib. 22. de  
Civ. Dei  
cap. 8.

rebat, illa facit ubique recitari & memoria cunctorum inherere populorum, hac autem ubicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa civitate vel quocunque commanentium loco. Nam plerunque etiam ibi sciunt paucissimi, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit civitas, & quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat autoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indigentur. Hæc ibi satis prolixè Augustinus, sed opera non superflua, utpote ex quibus non solum constat, quid de Miraculorum necessitate, videlicet non abolita, sed hypothetica sit statuendum, sed & quale discrimen sit observandum inter Miracula, quæ Canon scripturarum refert, & ea, quæ post Apostolorum tempora, quia & suo adhuc nimirum Augustini tempore facta, humano saltem nituntur testimonio; simul & quales ii sint habendi, qui non nisi miraculis videlicet novis ad fidem amplectendam duci volunt, ea, quæ extra omnem dubitatis aleam sunt posita, seponentes, sequemet ipsos per hanc indebitæ curiositatis vanitatem miserrime seducentes. Patet inde etiam quam candidè Bellarminus Augustini sententiam Lectori proposuerit, sensum ejus hypotheticum mutando in absolutum, temporisque distinctionem, quo Miracula vel magis vel minus, respectu nimirum expedientie vel magis promovendæ gentilium conversionis, videbantur necessaria, plane omitiendo, nulla tamen ratione omittendam. Etsi autem, ut non semel hætenus observatum, facies Ecclesiæ à tempore Augustini per duodecim seculorum intercessionem non parum fuerit mutata, ut adeo nullum plane sit dubium, ipsum quoque Augustinum, si hodie retractationes ei scribendæ essent, quantum ad hoc etiam de Miraculis argumentum, aliter mentem suam in uno & altero explicaturum; nihilo tamen minus, quæcunque hic scripsit, adeo Evangelicis non contrariantur, ut, prout ea jacent, nobis propria vel cum Augustino communia facere possimus, idque Lectori Veritatis studiose facillimum sit, si quæ nostra de Miraculis sit sententia, accurate cognoverit, quorsum inprimis ea intervient scripta, quibus ante Annos non ita multos B. Dannhæverus *Aletheam sacram & vindicem & victricem* contra Cornæum Løjolitam orti Christiano & verè Catholico stitit, Antagonistâ, utut glorioso antehac provocatore, ad triste silentium & convictionis agnitionem per Dei gratiam adacto, ut victas dare manus fuerit coactus. Sit autem ita, quod insuper & ex abundanti circa hoc Augustini testimonium adhuc observari debet, statuerit Augustinus, Miracula fuisse sub initium Apostolicæ prædicationis absolute necessaria, unde Bellarminus per consequentiam omni ex parte legitimam deduci posse existimat, Miracula esse necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persudandam; nihilo tamen minus multum adhuc requiritur ad demonstrandam doctrinæ, quam Augustinæ Confessionis ad seclæ profitentur, novitatem, utpote quam hætenus ad normam veræ antiquitatis, nimirum Biblicæ & Prophetico-apostolicæ examinari non solum libenter passus sumus, sed instantè, ut id fieret, sollicitavimus, non nescii, suspectam esse mercem, quæ examen & accuratam inspectionem fugit. Quia nec antiquitatis Ecclesiasticæ consensum nobis quoad primaria fidei capita & quoad priora post apostolos secula deesse, ex his etiam vindiciis constabit, Augustinum veritatis Evangelicæ testem juxta seriem Bellarminianam exhibentibus, adeoque præcipuum quarti & quinti seculi doctorem vindicantibus. Equidem quoad præsentem de Miraculis controversiam Bellarminus in historica narratione Miraculorum per secula provocat etiam ad miracula quinti in specie seculi tempore Augustini facta & ab eo memorata. Verùm, sicut ex ante dictis patet, nos fidem augusti Doctoris in recensione miraculorum suo tempore factorum non facere dubium, hoc tantum monentes, ab illo præfens tempus maximum esse intervallum multumque faciem Ecclesiæ ea intermutatam, ut de ea aliud plane judicium sit tormandum; ita de Miraculis, quæ ibidem quasi ab Augustino memorata leguntur, loco nimirum proximè citato & vindicato, hic quoque repeti debet, quod *Ludovicus Vives*, ad eum notanter observavit: *In hoc capite non dubium, quia multa sunt addita, velut declarandi gratia ab iis, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis manibus suis contaminabant.*

Nos jam inde ad secundum Augustini testimonium, quo Bellarminus ad illustrandam pro viribus Miraculorum gloriam uritur vel potius abutitur, accedimus. Est illud bipartitum vel ex diversis duobus locis & scriptis desumptum, nimirum ex libro de utilitate credendi, & contra Epistolam Fundamenti. Uterque locus quidem ex parte jam fuit examini hoc ipso capite subjectus, ubi de successione Episcopali

pali actum est; sed quia hic in specie de Miraculorum gloria agitur, paucis ostendendum venit, num Augustinus hic aliter, quam alibi docuerit. In priori autem scripto multa occurrunt, quæ cum iis non parum conveniunt, quorum ex opere de Civitate Dei facta est mentio. Inserta sunt pleraque *Vindictis* etiam *Anti-Thomisticis*, ubi Augustinus contra *Caramelem* vindicatus fuit, quæ tamen & hic legi debent, cum quam maximè huc pertinere videantur. Ita autem sanctus Pater: *Quoniam intelligere (Deum) ratione non facile est, oportebat quadam miracula ipsis ad moveri oculis, quibus stulti utuntur multo quam mente commodius, ut commotatorum autoritate hominum prius vitia moresque purgarentur, & ita rationi accipiendæ habiles fierent.* Non addo, quæ in his Augustini verbis ad præfens Institutum primariò observari possent & deberent, ne videlicet tractatio prolixior Lectori pariat fastidium, qui adhibita Judicii lance facili opera agnoscere potest, quid ad propositum, ante alia exinde inferviat. Pergamus ergo cum Augustino, & quid porro in rem habeat præsentem, ulterius ex eo percipiamus: *Seposita ratione, quam intelligere sinceram stultis est difficillimum, dupliciter nos movet, (Auctoritas) partim miraculis, partim multitudine sequentium. Nihil horum est necessarium sapienti. Quis negat?* Et post aliqua: *Homini non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præsto est, quam ut paulò ante dixi partim miraculis, partim multitudine nemo valere ambigit.* Et post miraculi definitionem, vel qualemcunque potius descriptionem, addo & divisionem, miraculis à Christo patris principatum obtinentibus, eandem ferè quæstionem vel oppositionem nomine Manichæorum format, qualem ante Gentilium nomine eum formasse vidimus: *Cur, inquis, ista modo non fiunt.* Et respondet: *Quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent.* Et iterum post aliqua: *Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.* Postquam verò etiam aliqua memorasset, quæ à quibusdam, rariora quamvis fieri solent, hocce suum interposuit iudicium: *Pauci hoc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine propectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutum accusant.* Pergit suam explicare mentem: *Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per sanctorum predicabilem vitam, atque in his unversis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate Miracula.* Sequitur nunc tandem, ad quod Bellarminus in laudata citatione primariò respexit, & cujus respectu hæc omnia in antecessum exscribi debuerunt: *Cum igitur tantum Dei auxilium, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hereticis circumlatrantibus, & partim Plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit; cui nolle primitias, (forte legendum, primas partes) dare, vel summa profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantia.* Ut verò adhuc apertius mens Augusti Doctoris pateat, proxime ibi sequentia adhuc liber subjungere: *Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opè atque auxilio divino, quam tanto labore prædita auctoritati velle resistere? Et, si unaqueque disciplina, vilis quanquam & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit; quid temeraria superbia plenius, quam divinorum sacramentorum libros & ab Interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare.* Videtur quidem sanctus Pater in ultimis huius præfertim verbis multum auctoritatis & momenti ad concipiendam fidem salvificam tribuere miraculis, eaque tanquam singulare motivum commendare, ut quis se Ecclesiæ verè Catholicæ jungat & eum ea uniat; sed dum ultimò & tandem ad *divinorum sacramentorum libros* provocat, eomet ipso indicare voluit, se hæc omnia de nullis aliis intellecta voluisse miraculis, quam quæ ibidem memorantur, & per quorum patracionem Deus, nulla quidem necessitate, sed liberrima tantum voluntate & indebita merè gratià ductus, tanquam faciliori quodam modo populos ad sui salutiferam cognitionem vocavit, nulla omnino ratione obstrictus, ut idem hodie etiam faciat, atque methodo extraordinaria iis adhuc semel se parefaciat, quorum patres per summam & inexcusabilem negligentiam semetipsos summo hocce Bono privarunt, viâ etiam nepotibus ad reimpetrationem ejusdem non

T

planè

planè interclusa, si ordinariis & simul sufficientibus uti vellent mediis, quæ necdum ulli manifestum est denegari. Quod jam attinet Augustini testimonium ex posteriori ejus scripto *contra Epistolam Fundamenti* à Bellarmino citatum, prætermitti non potest, eum & hic minus candidè egisse, mentemque augusti Doctoris non sincerè satis proposuisse, dum crudè & nudè eum scripsisse dicit, *se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum*. Verba non semel suprâ exhibentur, hic necessariò repetenda, ut fraus Bellarmini, mens autem sancti Patris eò apertius constet, qui hæc de re ita scripsit: *Tenet me auctoritas Miraculis inchoata*, nimirum in gremio Ecclesiæ, ad quam videlicet Augustinus è Manichæismo se contulit, inque eadem celebris Doctor & Episcopus ad finem vitæ constans permansit. Notanter autem scripsit Augustus Pater, teneri se in Ecclesia verè Catholica auctoritate non quorumvis Miraculorum, vel eorum quoque, quæ suo tempore facta loco proxime citato memoravit sed ea, quæ pridem Miraculis, Apostolorum scilicet, & qui Apostolorum comites & proximi successores erant, inchoata fuerat, actibus inde denominatis atque auctoritatem Canonicam obrinentibus de eorum certitudine testimonium exhibentibus. Quamvis autem addidisset Augustinus auctoritatem Miraculis continuatam, adeoque intellexisset Miracula suo etiam tempore facta, quæ tamen attendisse eum ex præsentis testimonio non constat; nihilo tamen minus, præter id, quod de differentia temporis, quo Augustinus vixit, & quo nos hodiè post duodecim secula vivimus, non semel hæctenus fuit monitum, illud etiam iterato debet observari, neque hanc auctoritatem Miraculis sive inchoatam, sive continuatam & confirmatam, inter primaria ab Augustino relatam fuisse Motiva & Fidei momenta, quibus se in Ecclesiæ gremio teneri professus est, quo minus ad Manichæorum cætus redeat, ut non apertè scripserit, *si Veritas tam manifesta apud eos monstraretur ita, ut in dubium venire non posset, preponendam esse eam omnibus illis rebus, quibus in Catholica se teneri dixit Ecclesia*. Ad animum hæc seriò vocet Lector & videat, annon Bellarminus crude satis & nudè Augustino adfinxerit, quasi Is vinculo Miraculorum sine ullo respectu se in Ecclesia teneri scripsisset, id quod tamen ab eo non una saltem conditione & restrictione addita factum est.

Tract. 13.  
in Joh.

Sequitur nunc tertium Augustini de Miraculis testimonium, quod tamen Bellarminus non offensivè producit, sed defensivè, ut nimirum illud Evangelicis eripiat, qui eo contra jactatam Miraculorum auctoritatem uti consueverunt. Est verò & illud bipartitum, eque duobus Augustini scriptis desumptum. Et priori quidem Augustinus legitur monuisse, *non esse credendum Donatistis, etiamsi faciant Miracula*. Respondet Bellarminus, *Donatistarum miracula, que Augustinus contempsit, non talia fuisse miracula, qualia sanctorum sint, sed occultas tantum visiones quasdam, quas sine ullo teste se vidisse jactaverint, adeoque non sine causa Augustinum hæc Miracula fabulas vocasse*. An hoc Bellarmini responsum valere possit, ipse textus Augustini testabitur, qui hic est: *Paulus loquitur, si sciam omnia sacramenta & habeam omnem Prophetiam & fidem, quantam fidem? ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Nemo vobis ergo fabulas vendat. Et Pontius (Donatista) fecit miraculum, & Donatus oravit, & respondit ei Deus de caelo. Primò, aut falluntur, aut fallunt. Postremò, fac illum montes transferre; Charitatem autem, inquit Apostolus, non habeam, nil sum. Videamus, utrum habuerit charitatem? Cederem, si non divisisset unitatem. Nam & contra istos, ut sic loquar, Mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens; In novissimis temporibus exurgent Pseudoprophetae, facientes signa & portenta, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergò cantos nos fecit sponsus, quia & Miraculis decipi non debemus. Aliquando enim & desertor terret provincialem; sed utrum in castris sit, & aliquid (forte, ad, vel, an quid) illi prosit character ille, in quo signatus est, hoc attendit, qui terretur & seduci non vult. Teneamus ergo unitatem (videlicet, Fidei) fratres mei. Præter unitatem, & qui facit miracula, nihil est. Et ne id verbis tantum suis videatur exprimere, suisque auditoribus nudam auctoritatem suam contra hos Mirabiliarios objicere, Exemplis id ex sacro Codice desumptis comprobatur, ut res eò manifestior evadat: *In unitate erat populus Israel, & non faciebat miracula. Præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Mosis. Populus Israel non faciebat miracula. Qui erant salvi apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Iterum, Petrus Apostolus resuscitavit mortuum, Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Christiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon.* Sed unde*

inde gaudebant? Inde, quia eorum nomina in cælo erant scripta. Nam & redeuntibus discipulis Dominus noster Iesus Christus propter fidem gentium hoc ait. Dixerunt enim ei gloriantes discipuli, ecce, Domine, in nomine tuo etiam Dæmonia nobis subiecta sunt. Bene quidem confessi sunt, detulerunt honorem nomini Christi, & tamen quid ait eis? Nolite in hoc gloriari, quia vobis Dæmonia sunt subiecta; sed gaudete, quia sunt scripta in cælo nomina vestra. Plura hujus generis exempla ex eodem adscribere supersedeo, cum ex his constare possit satis atque super Bellarmini responsum ad hoc prius Augustini testimonium contra Miraculorum autoritatem nullatenus quadrare. Videamus ergo, an forsitan magis commode ad posterius responderit, ne id dicat, quod dicere videtur Augustinus. Docuit Is autem non sine multa observatione, non tantum miraculis Donatistarum non credendum esse, sed & neque miraculis Catholicorum, hanc addens causam. *Quæcumque talia in Catholica sunt Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica sunt Ecclesia; non autem ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea sunt.* Supra jam, ubi de Notis Evangelicorum ex Augustino actum est, hæc verba cum pluribus aliis huc pertinentibus adducta fuerunt, unde mens sancti Doctoris non obscure potuit cognosci. Nunc, quid Bellarminus respondeat, videndum est. Putatis, Augustinum alibi, nimirum in contra Epistolam Fundamenti libro aliter & contrario loqui modo, & docere, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex scripturis; imo scripturas demonstrari ex Ecclesia. Atqui non uno in loco supra, quia & paulò ante est ostensum, Augustinum nulla ratione sibi met ipsi esse contrarium. Imo ipse Bellarminus in eo est occupatus, ne pugnantia secum videatur Augustinus scripsisse, quamvis eum suas ad partes trahere laborans, & quidem, ut videbimus, invitum. Ita autem Conciliator: *Dicendum est, in utroque loco eum loqui ex hypothesi. Quia enim Manichæi mittebant miracula, & negabant scripturas, veterem dicentes esse à Diabolo, novam esse totam à falsariis corruptam; hinc Augustinus in libro contra Epistolam Fundamenti ex Miraculis demonstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat scripturam. Sed quia Donatistæ credebant scripturam, tam veteri, quam novæ, & jactabant suas Visiones, miracula Ecclesia contemnentis; ideo Augustinus contra Donatistas alia procedit via, & ex scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam vult judicari de Miraculis.* Verum, ut negari non potest, alia methodo & ratione Augustinum contra Manichæos, alia autem contra Donatistas disputasse, utrobique tamen scripturam pro præcipuo habentem fundamento, quo semper præsupposito sæpius eum adversarios ex propriis convicisse principiis, ad hominem disputando, nemini paulisper in scriptis ejus versato ignotum esse potest; ita quæ de modo disputandi Augustinianæ contra Manichæos & Donatistas monuit Bellarminus, partim contra mentem sancti Patris, partim contra semetipsum scripsit. De libro contra Epistolam Fundamenti & testimonio exinde ad Miraculorum autoritatem confirmandam desumpto, ut modo dixi, sæpius jam & proximè est actum. Nunc ex abundantè illud addo, quo Augustus Doctor se quam-maximè Evangelio, tanquam unico Fidei principio & fundamento, credere contra Manichæum professus est: *Absit, ut Evangelio non credam; illi enim credens non invenio, quo etiam modo tibi possim credere.* Nulla hic Miraculorum, nulla Ecclesiasticæ authoritatis mentio. Contra semet ipsum verò scripsit Bellarminus id, quod de methodo Augustini contra Donatistas agentis scripsit; cum Evangelici hodiè eadem contra Mirabiliarios Papistas utantur. Quem enim ad modum de Donatistis Bellarminus scribit, *credidisse eos scripturam Veteri & novæ, & jactasse suas Visiones* (& Miracula, ut Augustinus loco supra citato scripsit expressè) *Ecclesie miracula contemnentis*; ita ægrius ferre non debent aut possunt Mirabiliarii Papistæ, si ad imitationem Augustini Ecclesiam ex scripturis demonstrari, & de Miraculis per Ecclesiam ex scripturis demonstratam judicari desiderent Evangelici, ideo nimirum, quia cum Donatistis videri volunt agnoscere scripturam Veteris & Nôvi Testamenti Canonicam, neque negare possunt, jactare se Visiones (ut proximè ad sequentem Notam de Lumine Prophetico agentem videbimus) & Miracula, & recentia quidem magis quàm antiquiora, tempore Prophetarum & Apostolorum facta, ad quæ tamen præprimis respici debere, Evangelici ex Augustino docti sentiunt, id quod nunc porro demonstrandum restat.

Redeundum enim nobis adhuc semel est ad Bellarminum, & eo duce ad Augustinum, ne quid hic notatu dignum prætermittatur. Et quidem prius ad Bellarminum, qui dum respondere conatur ad eam objectionem, quæ Miracula hodiè

de Unit.  
Ecclef.  
cap. 16.

cap. 5.

lib. 10. de  
Civ. Dei,  
cap. 18.

jaçtari solita non solum in dubium vocantur, sed omninò facta esse negantur, uti se posse existimat verbis Augustini, Paganorum objectioni, historias Miraculorum negantium, hunc in modum respondentis: *Si liceat absque ulla ratione facta olim Miracula negare, fides omnium librorum peribit, & tolletur non solum nostra, sed etiam omnis alia religio; omnes enim, qui Dii habentur, operibus mirabilibus, à Viris doctis conscriptis, divinitatem suam, sive veram, sive falsam, Mundo persuaserunt.* Et ita quidem Bellarminus mentem Augustini expressit. Sed ut ad ipsum eamus Augustinum, notari debet, eum in capite præcedenti egisse de illis signorum miraculis, quæ ad commendandam legis ac promissionum auctoritatem divinitus facta sunt, ut non solum capitis inscriptio habet, cujuscunque etiam sit, sed & ipsa testatur tractatio. Hoc autem capite, ex quo Bellarminus responsum depromit, Augustinus egit contra, eos, qui de Miraculis, quibus Dei populus est eruditus, negant libris Ecclesiasticis esse credendum. Operæ pretium erit ipsa Augustini hic adscribere verba, ad quæ Bellarminus habuit respectum: *An dicit aliquis, falsa esse Miracula illa, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta.* Respondet Pater Sanctus: *Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omninò ullis esse credendum literis, potest etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia; non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum & historia gentium testis est, quorum Dii se ostentare mirabiles potius, quam utiles ostendere potuerunt.* Videt hic iterum lector attentus, Bellarminum dupliciter & hic in citatione horum Augustini verborum peccasse, semel impertinenter Evangelicos cum Paganis comparando, quibus tamen nullatenus sunt similes, dum hi quidem, Pagani nimirum, ipsos Codices sacros, Miraculorum divinitus factorum testes non in dubium vocarunt, sed omninò mendacii arguerunt, Evangelicis è contrario eisdem maximi æstimantibus, aliter verò de modernis sanctorum ita dictorum legendis, miracula sine numero & sine cumulantibus, cum non uno modestiorum Papistarum, nec absque sufficienti causa judicantibus; deinde, id quod Augustinus more sibi non infueto contra adversarios cum certa quadam conditione scripsit, sine ejus respectu ad præfens institutum trahendo. Dixit & scripsit Augustus Doctor, ad hanc Paganorum de rejectione sacri Codicis objectionem, posse, non debere, *quisquis hoc dicit, id etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia;* non quasi nulla ei alia super-fuerit ratio, paganis auctoritatem sacri Codicis, qui Miracula divinitus patrata exhibet, probabilem primò, & postea quoque credibilem, & ita infallibilem omninò fidenti, sed ut hic etiam, quod alias, ut jam monui, sæpius ab ipso factum est, ad hominem ageret, atque adeo contra paganos ex propriis disputaret principiis, hacque eos ratione ad credendum Codici sacro & Miraculis in eo contentis perduceret, id quod observatum Bellarmini inanem in abusu responsionis Augustinianæ operam manifestè iterum prodit. Quia verò Bellarmino ex hoc etiam Augustini de Civitate Dei opere & libro quidem ejus decimo visum est contra Miraculorum quorumvis auctoritatem impugnantes agere, quamvis, ut vidimus, successu nimis infelici; non præter rem erit, si ex eodem porro Augustini de miraculorum auctoritate non usque adeò infallibili mentem & sententiam observaverimus, quam sequentibus verbis apertè satis expressit: *Respondeant homines, si nullus naturæ suæ sensus, quo rationales sunt creati, ex aliqua parte vivit in eis. Respondeant, inquam, eisne sacrificandum sit Diis vel Angelis, qui sibi sacrificari jubent; an illi uni, cui jubent hi, qui & sibi & istis prohibent. Si nec isti nec illi ulla facerent Miracula, sed tantum præciperent, alii quidem, ut sibi fabricaretur, alii verò id vetarent, sed uni tantum juberent Deo, satis deberet ipsa pietas discernere, quid horum de fastu superbiæ, quid de vera religione descenderet: Plus etiam dico, si tantum hi mirabilibus factis humanas permoverent animas, qui sacrificia sibi expetunt; illi autem, qui hoc prohibent, & uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia Miracula facere dignarentur, profecto non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda esset eorum auctoritas.* Scribere hæc Augustinus non potuisset, si Miracula necessariò inter eas numerari deberent Notas, è quibus Ecclesia & doctrinæ veritas esset cognoscenda. Ne autem, dum Satanas per Miracula non paucos solet seducere, Deus Ecclesiam hac etiam ratione videatur deferere, addit Augustinus Miraculorum divinitus patratorum splendorem: *Cum Deus id egerit ad commendanda veritatis suæ eloquia, ut per istos immortales nuntios, (sanctos intelligit Angelos) non sui fastum, sed illius*

Maje-

Majestatem prædicantes, faceret majora, certiora, clariora Miracula, ne infirmis piis illi, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum stupenda quedam monstrarent; quem tandem ita libeat desipere, ut non vera eligat, quæ sectetur, ubi & ampliora invenit, quæ miretur. Illa quippe Miracula Deorum gentilium, quæ commendat historia, non ea dico, quæ intervallis temporum occultis ipsius causis mundi, veruntamen sub divina providentia constitutis & ordinatis monstruosa contingunt; sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri, satis evidenter adparet, nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt, quanto minus ea, quæ illorum quoque populorum, qui tales coluerunt Deos, legibus judicata sunt prohibenda atque plectenda, Magica scilicet vel theurgica, quorum pleræque speciemus mortaliū sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quedam vero etsi nonnullis piorum factis videantur opere coequari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis hæc expetunt; his vero unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & scripturarum suarum testificatione, & eorundem postea sacrificiorum remotione demonstrat. Debuit hucusque hoc Augustini testimonium excrubi, ut quorsum præpimis in negotio hoc respiciendum sit, pateat, ad scripturas nimirum sacras, ad quas tandem omnia in causâ religionis, tanquam ad fontem perennissimum referri debent. Cætera, quæ differentiam miraculorum à gentilibus jactatorum ex unâ, ex alterâ autem parte in populo Dei factorum, quæ facer Codex exhibet, prolixè describunt, ritè etiam se habent, si ad præsens Institutum ac statum Controversiæ inter Evangelicos & Romanenses adplicentur, his ad propria & recentia, non unâ ratione suspecta, illis verò ad antiqua Prophetarum, Christi & Apostolorum miracula omni modo & utrinque indubia, quamvis aliena, sibi tamen ob doctrinæ consensum communia, atque adeò jure & meritò provocantibus, multumque præ adversaria parte obtinentibus, dum Augustini iterum verba faciunt sua, quibus Donatistarum miracula suo tempore clusit, inde desumpta, unde ad antecedens Caput de Notis Evangelicorum plurima fuere exhibita, hic ex parte necessario repetenda, quatenus nimirum huc pertinere videbuntur. Ita autem ibi Doctor angustissimus contra Donatistas de Miraculorum ab illis jactatorum autoritate, vel potius nullitate scribit: *Remotis omnibus Ecclesiam suam demonstrant, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet Disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini, præparati & canti sumus redditi, sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, Psalmorum cantibus, in ipsis Pastoris (Christi) vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonice sanctorum librorum autoritatibus. Et post aliqua: Omissis morarum tendiculis ostendat, quisquis respondere parat, Ecclesiam vel in sola Africa tot gentibus perditis retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque implendam, & sic ostendat, ut non dicat, verum est, quia ego hoc dico, aut quia hoc dicit ille Collega meus, aut illi Collegæ mei, aut illi Episcopi, vel Clerici, vel Laici nostri, aut ideo verum est, quia illa & illa Mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille Frater noster, aut illa Soror nostra tale visum vigilans vidit, vel dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta hominum mendacium, vel portentosa fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si aliqua hæreticorum facta sunt mira, magis cavere debemus, quod, cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla faciendo signa electos etiam, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait, ecce, prædixi vobis! Et iterum: Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in scripturis sanctis Canonice debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus, & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere. Et iterum post aliqua: Vtrum Donatista Ecclesiam teneant, non nisi divinæ scripturarum libris Canonice ostendant, quia nec nos propterea dicimus, credi nobis oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit optatus Milevitanus vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ Communionis Episcopi, aut quia nostrorum Collegarum conciliis ipsa est prædicata, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat communio nostra, tanta Mirabilia vel exauditionum vel sanitarum (forte Sanationum) fiunt. Quæcunque talia in Catholica fiunt*

de Unit.  
Ecclesiæ.  
cap. 16.

*Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica fiunt Ecclesia; non ideo ipsa manifestatur, quia hæc in ea fiunt.* Quamvis autem Bellarminus paulò ante existimaverit, aliter Augustinum contra Manichæos, aliter eum contra Donatistas, in hoc etiam Fidei puncto disputasse, ideo illud solum adhuc restat addendum, ut videamus, quamvis contra Manichæos pro non planè nullo Motivo in Ecclesiæ gremio manendi habuerit miracula, ea nimirum, quibus Ecclesiæ autoritas tempore Apostolorum fuit *inchoata*, cum nihilo tamen minus longè aliter de aliorum judicasse miraculis, hunc in modum Manichæos adloquendo: *Scripturas tanta autoritate firmatas commendatasque respicitis, miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus, per instruendum nos Dominum & dicentem, exurgent multi pseudo-Christi pseudo-Prophetae, & facient signa & prodigia multa, &c.* *Usque adeo nihil credi voluit adversus confirmatam scripturarum autoritatem, quæ fidem suam in rebus ipsis probat, quæ per temporum successiones hæc impleri & effici ostendit, quæ tanto antequàm fierent, prænuñtiavit.* Agmen nunc claudat id, quod de miraculorum post tempora Apostolorum necessitate minus urgente alibi rotundè scripsit sanctus Pater: *Accepimus, majores nostros eo gradu, quo à temporibus ad æterna conscenditur, visibilia Miracula, (non enim aliter poterant) secutos esse, per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec Miracula illa in nostra tempora durare permessa sunt, ne animus semper visibilia quæret, & eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Ut autem hæc, & quæ similia ferè supra ex libro de Utilitate credendi fuere laudata, aliquatenus in libris retractationum emendasse videri possit Augustinus, observans, *neque suo tempore Miracula omnino in Ecclesiâ fieri desisse*, ex aliis tamen locis hæcenus non semel ostensum fuit discrimen, quod Augustinus inter Miracula Vetera & Recentiora attendi voluit, additumque, à tempore Augustini ad præsentia non benè in hoc puncto nec consequenter conclusi, id quod ad hanc Notam satis est, quæ ideo prolixius debuit tractari præ aliis, quia ab adversa parte instantissimè urgeri solet, atque Augustinus multum subsidii ad hujus Notæ elevationem pluribus in locis subministravit, miserrimè etiam à Bellarmino habitus, ac ideo ab injuriis eidem illatis ex Instituto & debito vindicandus, In iis jam, quæ adhuc restant, Notis Ecclesiæ examinandis licebit nobis esse brevioribus.

lib. 13. contra Faust. cap. 5.

de Vera Relig. cap. 25.

lib. I. c. 13. & 14.

lib. IV. de Trin. ca. 17.

lib. IX. de Civ. Dei. cap. 22.

de Divinat. Dæmon. c. 6.

Et quidem, si agamus de ea, quæ numero & ordine post decimam est *secunda*, lumen exhibens Propheticum, dum ipse Bellarminus ad ejus demonstrationem Augustini autoritate destituitur, utpote ex cujus scriptis aliud nihil in rem præsentem potuit adducere, quàm ut ad iudicium ejus de gentilium oraculis provocaret, quod nobis nullo planè modo contrarium, & ut testimonium ejus de Prophetia quodam Johanne Eremita laudaret, cujus narrationis gratia nemo hæcenus, quod sciam, Augustini fidem dubiam aut suspectam fecit; nec à nobis hic prolixior trahi debet mora, hoc solum observantibus, ita de vaticiniis alibi Augustinum scripsisse, ut inde manifestum possit fieri, eum hoc lumen Propheticum vix inter Ecclesiæ Notas admitturum fuisse, si apertam de eo sententiam ferre debuisset. Notari hic omninò merentur, quæ contra Pseudoprophetarum & Satanæ Ministrorum Vaticinia graviter scripsit: *Potestates aerea fallaces ac superba etiam si quadam de societate & civitate sanctorum, & de vero Mediatore à sanctis Prophetis vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent.* Legatur totum ibi caput, & multa occurrent, quæ ad hujus sententiæ confirmationem pertinere videbuntur; quibus non multum sunt dissimilia, quæ alibi de modo, quo Spiritus mali, per Pseudopphetas Vaticinia edentes, aliquam futurorum cognitionem & præscientiam adquirunt, augustus Doctor notavit: *Dæmones non æternas temporum causas & quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum majore experientia, multò plura, quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænuñtiant.* Plurima etiam hanc in rem monuit eo in libro, quo eum de gentilium oraculis agere Bellarminus scripsit, id in primis observans, *multa Dæmones futura prænuñtiare, cum tamen ab eis longè sit altitudo illius Prophetiæ, quam Deus per sanctos Angelos & Prophetas suas operetur.* Quo ipso cautos esse voluit quosvis æternæ salutis seridò cupidos, ne quibuscunque Vaticiniis se ab oraculis verè divinis moveri, & à viâ Veritatis in Prophetarum utriusque Testamen-

stamenti scriptis revelata in avia errorum ac presentissimum animæ periculum seduci se sustineant, cum nullis hodiè novis ad Fidei confirmationem nobis opus sit Prophetiis, ipso id agnoscente Bellarmino, qui hac de re notanter ita scripsit: *Fi-* lib. I. de  
*des Ecclesia nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Propheta. Nec* Rom.  
*enim semper Ecclesie revelantur articuli novi, sed in ea acquiescit doctrina, quam Apo-* Pontif.  
*stoli & Propheta à Deo didicerunt, & prædicatione vel literis ad posteros mandave-* c. II.  
*runt. Et alibi: Non novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis per-* lib. IV. de  
*manet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, &c.* Ut adeo Bellarminus verbo Dei  
hoc ipso Evangelicis suppeditaverit, quid de hac Ecclesiæ Nota, lumen Propheti- cap. 9.  
cum requirente, sit statuendum.

Nobis nunc progrediendum est ad tertiam & decimam, quam esse vult Con-  
fessionem adversariorum, ut ut sine consensu Augustini, quem tamen certo respec-  
tu non adeò difficulter impetrare potuisset. Egregia certè sunt, quæ hanc in rem  
alicubi contra gentiles monuit: *Cum scripturis nostris non credunt, complentur in* lib. XVIII.  
*eis sue, quas cæci legunt, nisi fortè quis dixerit, illas Prophetias de Christo Christia-* de Civ.  
*nos finxisse; quæ Sibylle nomine vel aliorum proferuntur, si quæ sunt, quæ non perti-* Dei, c. 46.  
*nent ad populum Iudeorum. Nobis quidem ille sufficiunt, quæ de nostrorum inimico-*  
*rum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis in-*  
*viti perhibent, eosdem Codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos*  
*esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur. Referrì huc etiam omni-*  
*nò debet, quod alibi de Philosophorum gentilium testimoniis & confessionibus*  
*apertè satis scripsit: Philosophi, qui vocantur, si quæ vera fortè & Fidei nostre* lib. II. de  
*accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab* Doctr.  
*eis etiam, tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Hæc sicut ex* Christ.  
*Augustini mente perquam benè se habent, maximique ex debito æstimari de-* cap. 40.  
*beat confessio & testimonium adversarii, tanquam non exiguum Veritatis*  
*ab hoste etiam agnitæ præjudicium; ita ubi illud ob ejus pertinaciam haberi*  
*non potest, Conscientia quidem intus testimonium perhibente, at foras ob*  
*animi duritiem non penetrante, nihilo tamen minus nullum indè Veritati*  
*accedere potest detrimentum, nisi & malefici hominis undiquaque convicti con-*  
*stans silentium sinceritati accusatoris & Judicis anteferrì debere cuiquam vi-*  
*deatur. Quamvis, ut eò deveniamus Evangelici, necessum non sit, cum si hæc*  
*Nota alicujus esse debeat æstimmii & valoris, certam nobis promittere audea-*  
*mus contra Romanenses in hac acie victoriam, Confessione adversariorum quo-*  
*ad omnes & singulas Fidei controversias Catholica, studio & opera meritif-*  
*simi Theologorum, Beati Gerhardi, dudum jam orbi Christiana exhibita,*  
*quam nemo hætenus ex adversariæ partis scriptoribus impugnare, aut Evan-*  
*gelicis eripere est conatus, non sine plurimo adprobata Veritatis testi-*  
*menio.*

*Quarta* nunc post decimam sequitur Nota, sed & hæc sine Augustino comi-  
te, quam ei tamen, ut adjungamus, prætermittere indebitum esset. Signat autem  
Bellarminus hac Nota *infelicem exitum seu finem eorum, qui Ecclesiam oppugnant.*  
Si Augustinum hic in Consilium vocasset, aliud ab eo judicium expectare potuiffem-  
mus. Nunc cum sine Senatus Augustiniani consulto rem hanc exhibuerit deci-  
sam, corrigendus est, ne quid contra & præter mentem sancti Patris in hoc etiam  
negotio statuatur, qui suam ita de vario mortis genere, quæ homines ex hac  
vita decedunt, exposuit sententiam: *Multi etiam Christiani multarum mortium* lib. I. de  
*facta varietate consumti sunt. Fuit hæc accusatio gentilium, in numero calu-* Civ. Dei;  
*mniarum habenda, quibus olim Christianos nemini non derestabiles facere sunt* cap. II.  
*aufi, quam sequentibus verbis Doctor Augustus repulit: Hoc si agrè ferendum est,*  
*omnibus, qui in hanc vitam procreati sunt, utique est commune. Hoc tamen scio, ne-*  
*minem fuisse mortuum, quin non fuerat aliquando moriturus. Quid autem interest, quo*  
*mortis genere ista finiatur Vita, quando ille, cui finitur, iterum mori non cogitur? Cum*  
*autem unicuique mortalium sub quotidianis hujus vitæ casibus innumerabiles quodam-*  
*modo comminentur mortes, quamdiu incertum est, quænam earum sit ventura; quæ-*  
*ro, utrum satius sit, unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo? Nec igno-*  
*ro, quàm inertius (alias citius) eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quàm*  
*semel moriendo nullam deinceps formidare. Mala mors putanda non est, quàm*  
*bona præcesserit vita; neque enim fecit malam mortem, nisi quod sequitur mor-*  
*tem.*

rem. Non itaque multum eis est curandum, qui necessario sunt morituri, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Alibi etiam hac de re sequentur in modum scripsit: *Undecunque mors pro bona est. Malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? Sive inde, sive inde moriatur, quare, qualis sit, qui moritur, quo post mortem iturus est, non unde de vita exiturus? Quacunque occasione hinc exituri sumus. Quibus exitibus Martyres exire meruerunt; nunquid febribus? Alii uno gladii ictu, alii ignibus, alii bestiis; & devoraverunt bestia corpora Martyrum, & non timuerunt, ne perirent corpora ipsorum. Undique enim Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri sunt numerati. Novit Deus, quid agat; Tu hinc, & bonus esto. Undecunque voluerit, ut exeat hinc, paratum te inveniat. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveris, non accidere, nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de lege ipsius; & si nos non intelligimus, quid quare fiat, demus hoc providentia ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphemabimus. Notent hoc, quicumque externa in dijudicanda ratione status & conditione hominum interna per inexcusandam temeritatem respicere tantum solent, omnium aliorum, quæ quam-maximè attendi deberent, incurii.*

Super nunc tandem adhuc est ultima Ecclesiæ Nota, quam Bellarminus esse dicit *Felicitatem temporalem; iis divinitus collatam, qui Ecclesiam defendunt*, sequenti testimonio Augustini comprobata: *Constantinum Imperatorem, non supplicantem Demonibus, sed ipsum verum Deum colentem; tantis implevit muneribus terrenis, quanta optare nullus auderet. Unversum orbem Romanum unum tenuit Augustus & defendit. In administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandævus egritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit. Addit, de Theodosio seniore eundem Augustinum capite sequenti scribere, ei, quod verè pius & Catholicus esset, adeo prospere omnia successisse, ut in prælis hostium tela in aethores, Deo agente, retorquerentur. Est ita, scripsit hæc Augustinus, utriusque Imperatorum Encomiastes luculentissimus. Et eloquentissimus. Sed si utrobique addamus ea, quæ Augustus Pater hæc subjunxit elogius, manifestum erit, hos ab eo Panegyricos non eum in finem fuisse institutos, ut Felicitatem eorum à Deo temporalem pro singulari Ecclesiæ Nota commendat, sed ut ostendat, quia ratione & modo Deus piis hæc Imperatoribus pro cultu sibi præstito etiam quoad temporalia bene voluerit facere, ne frustra Deo servivisse videri potuerint. De cætero ea subiecit Doctor sanctus, quæ ex particularibus hæc exemplis universalem facere regulam omnino prohibent: *Sed rursus, ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus; Iovianum (Imperatorem æquè Christianum) multò citius, quam Iulianum abstulit, Gratianum (itidem Christianum Imperatorem) ferro interimi permisit tyrannico, longè quidem mitius, quam Magnum Pompeium, Romanos videlicet colentem Deos. Nam ille vindicari à Catone non potuit, quem civilis belli quodammodo heredem reliquerat; iste autem, quamvis pia anime solatia talia non requirant, à Theodosio vindicatus est, quem regni participem fecerat, cum parvulum haberet (&) fratrem, Valentinianum scilicet, avidior fidei societatis, quam nimie potestatis. Post, ubi de felicitate Theodosio divinitus concessa proluxissimè egisset, his elogium ejus clausit verbis: *Hec ille, & si quæ similia, bona tulit opera ex illo temporali vapore cujuslibet culminis & sublimitatis humane, quorum operum merces & æterna felicitas, cujus dator est Deus solus veraciter pius. Cætera verò vitæ hujus vel fastigia vel subsidia, sicut ipsum mundum, lucem, aures, aquas, fructus, ipsiusque hominis animam, corpus, sensus, mentem, vitam bonis malisque largitur; in quibus est etiam qualibet imperii magnitudo, quam pro temporum gubernatione dispensat. Neque hoc verò solum, sed & si caput proximè antecedens evolvamus, paria Augustinum præoccupando observasse videbimus, ita videlicet scribentem: *Non nos Christianos, quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Republicæ domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes & cavere & opprimere poterunt; hæc enim & alia vitæ hujus ærumnosæ vel munera vel solatia quidam etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei,* quo***

vid. Barth.  
ad Claud.  
p. 557.

quo pertinent isti. Et hoc ipsius misericordiâ factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa desiderarent bona. Sed felices eos dicimus, si justè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum Majestatis ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, faciliè ignoscunt; si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitarum odiis exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatio, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis & humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, quum id, quod exposcimus, (aliàs, expectamus) *advenerit*. En, ex institutione Augustini Principem bonum & felicem in Compendio! Verùm si ulterius retrò in hoc Augustini opere & libro eamus, plura invenire licebit huic scopo egregiè inservientia. Ita enim in antecedentibus porrò legitur: *Multi præteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores sua scientia, si temporibus Christianis aliquod bellum paulo diutius trahi vident, illico in nostram religionem protervissimè insiliunt, exclamantes, Quod si illa non esset, & ritu veteri numina colerentur, jam Romana virtute illa, que adjuvante Marte & Bellova tanta celeriter Bella confecit, id quoque celerrimè finiretur. Recolant igitur, qui legerunt, quàm diuturna bella, quàm variis eventibus, quàm luctuosis cladibus à veteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum, velut procellosissimum pelagus, variâ talium malorum tempestate jactari, & quod nolunt, aliquando fateantur, nec insanis adversus Deum linguis se interimant, & decipiant imperitos.* Qui pinguiorem non habent, etsi non Rhinocerotis nasum, facili vident operâ, quo hæc Augustini monita modo ad præsens institutum referri possint ac debeant, quæ per indirectum ipse Bellarminus suggestit, dum hujus sancti Patris autoritate felicitatem temporalem pro Ecclesiæ Notâ singulari ausus est venditare & lectori minus cauto commendare. Et si præter alia hoc in specie de Civitate Dei opus diligenti studio evolvamus, plurima adhuc occurrent, quæ nemo non huc pertinere fatebitur ingenuè. Videbimus aliqua saltem, ut ditissimum cornu copiarum Augustinianarum hinc quoque luculenter adpareat. Mox sub initium hujus splendidissimi operis, hanc ipse sibi format ex mente aliorum augustus Doctor objectionem. *Cur divina Misericordia ad impios etiam ingratosque pervenit?* Et respondet ex sententia optimi Doctoris Christi: *Cur putamus, nisi quia eam ille præbet, qui quotidie facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Quamvis enim quidam eorum ista cogitantes penitendo ab impietate se corrigant, quidam verò, sicut Apostolus dicit, divitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentem secundum duritiam cordis sui & cor impunitens thesaurizent sibi iram in die ire & revelationis justi Iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus; tamen patientia Dei ad penitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos, itemque misericordia Dei faciendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippè Divine Providentiæ, præparare in posterum bona justis, quibus non fruuntur injusti; & mala impiis, quibus non excruciantur boni, vel justis. Ista verò temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius adpetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque adficiuntur. Interest autem plurimum, qualis sit usus vel earum rerum, quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur adverse. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur; malus autem idèò hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.* Non repeto nunc ea, quæ supra ad tertiam Ecclesiæ Notam de diuturna duratione prolixius citata sunt hujus augusti Doctoris ex hoc etiam opere testimonia, duarum Civitatum, Dei nimirum & Satanæ, rationem status in hoc Mundo describentia, unum addere contentus, quod in posterioribus libris, & quidem in fine libri post decimum octavilegitur: *illa, quæ terrena est, fecit sibi, quos*

Ibid. c. 22.

lib. 1. cap. 8.

quos voluit vel undecunque, vel etiam ex hominibus falsos Deos, quibus sacrificando ferviret; illa autem, quæ cælestis peregrinatur in terrâ, falsos Deos non facit, sed à vero Deo ipsa fit, cujus verum sacrificium ipsa sit. Ambæ tamen temporalibus vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter adfiguntur, diversa Fide, diversa Spe, diverso amore donec ultimo supplicio separentur, & percipiat unaquæque suum finem, cuius nullus est finis. Prætermitto etiam ea hinc inde in hoc opere testimonia, quibus pro Christianorum innocentia agit, ut à gentilium calumniis & accusationibus iniquis eos liberaret, per quas omnium publicarum calamitatum causæ & infelicitates illorum temporum more antiquo in illos sunt ob abdicatum Deorum & Idolorum gentilium cultum rejectæ & derivatæ, in quo labore non unum ex Ecclesiæ Doctoribus antiquis habuit Antecessorem sed nec alia huius sancti Doctoris scripta jam advoco, quæ non pauca suppeditare possent, Bellarmini & sequacium pro temporali felicitate tanquam singulari Ecclesiæ nota, unde possit & de jure debeat cognosci, pugnantium imprudentiam & temeritatem seriò & severè castigantia, ne videlicet multitudine testimoniorum lectoris patientia obruatur, resque per se non adeò difficilis suspensæ eidem fiat, si præter necessitatem tantis viribus, totque armis sententia quam-maximè improbabilis oppugnetur & impugnetur. His certè è solo opere de *Civitate Dei*, ad quod Bellarminus ipse nos deduxit, laudatis & omninò sufficientibus, si in primis addantur, quæ idem sanctus Pater in prolixissima ad Honoratum Epistolâ, quæ post centesimam ordine & numero est vigesima, de hac Quæstione proposuit, ad rem ipsam contra adversarios felicitatis temporariæ jactatores conficiendam nihil erit iuper, nisi ut Bellarminus tanquam Goliathus suo etiam cadat gladio, suamque gloriationem experiatur fuisse vanam, dum contra semet ipsum sufficientia nobis subministravit arma, quibus eam sine omni difficultate

lib. III. de  
Rom.  
Pont. c. 21.

licebit prosternere. Ubi enim de prospero Anti-Christi successu contra *Illyricum* agens tertium sibi met ipsi objecit ex eo argumentum, quod nimirum juxta Danielis Vaticinium Antichristo prospere sit successurum, donec ira Dei finiatur, sequentem in modum ad id respondit: *Quid si nos contra demonstremus, huic tertia Anti-Christi Nota notam plane contrariam Papa convenire. Nam ab eo tempore, quo per vos Papa esse cepit Antichristus non modo non crevit ejus imperium, sed semper magis atque magis decrevit. Leonis enim Magni tempore, id est, annis centum quinquaginta ante, quàm Antichristus vestrà sententiã nasceretur, Romanus Papa pluribus presidebat gentibus, quàm Romani sese Imperii fines extenderent. At postea regnante (ut vos vultis) Antichristo paulatim amisit Romana sedes Africam penè totam, maximam Asiæ partem, Graciam quoque universam. Nostris verò temporibus, quibus vos Antichristum maximè vociferamini furere, tam prospere illi omnia successerunt, ut magnam Germaniæ partem, Sveciam, Gothicam, Norwvegiam, Daniam universam, bonam Angliæ, Galliæ, Helvetiæ Polonia, Bohemiæ ac Pannoniæ partem amisit. Itaque si prospere agere nota est Antichristi; non Papa, qui tot Provinciis exutus est, sed Lutherus, qui prædicatione carnalis libertatis tot populos seduxit & tam prospere egit, ut ex privato Monacho totius Germaniæ Propheta & quasi Papa quidam evaserit, Antichristus merito dici potest.* Conferantur hæc cum iis, quæ Bellarminus ad Notam Ecclesiæ ultimam de Felicitate temporali observavit, & dissensus lectori non indocto satis erit manifestus. Etsi enim fortè ad tentandam conciliationem dici posset, Bellarminum hic loqui de temporali felicitate eorum in specie, qui Ecclesiam defendunt; ibi autem de ipsius Romani Pontificis statu & respectu, quem olim & nunc diversum fuisse inter indubia poni debet; nemo tamen judicare potens non videt, non omninò tolli hac ratione dissonantiam, si quæ utrobique ad rem ipsam pertinent, ritè attendantur. Ut taceam ipsum Pontificem Romanum quam-maximè in numero Defensorum Ecclesiæ collocandum, utpotè qui per aliquot jam secula non clavibus solum Petri, sed & in primis Pauli gladio Status sui rationem tueri laboravit, contra eos etiam, qui Christianissimi aliàs & primogeniti Ecclesiæ filii, imò fortissimi ejusdem defensores audiunt, etsi non semper æquo Marte, & minus felici ut plurimum eventu, ita ut non rarò plus amisit, quam adquisiverit, Deo hunc Papo-Cæsareatum posteris in exemplum graviter punientem & ostendente, arma corporalia eorum manibus inidonea esse, qui Spirituales èque Mundanis segregatos se ex officii ratione gloriantur. Et hæc de Ecclesiæ Notis.

vid. Petri  
de Maria  
de Conc.  
Sacerd. &  
Imp. lib. II.  
cap. 12.

Quia in hac de Notis Ecclesiæ Romanensis tractatione non pauca sunt producta ad

Et ad sensum operis Augustiniani *contra Epistolam Fundamenti* pertinentia, utpote ad quod Bellarminus hic & ibi provocavit, & in eo præter alia leguntur hæc etiam verba, quæ alias sufficienter explicata ad hunc quoque locum referuntur merito, quibus Doctor augustissimus est testatus aperte, *ego non crederem Evangelio, nisi me moveret autoritas Ecclesie*, & hodierni Ecclesie Romanensis Promachi ea ut plurimum in acie prima adversus Evangelicos Doctores solent collocare, quasi omnis spes victoriæ in nuda saltem adlegatione eorum esset sita, non ad tentis rerum plurimarum circumstantiis, quæ omnino observari & ponderari debent accuratissime, ne quid præter mentem sancto Patri adfingatur; placet post plurimum è Nostratis circa hunc locum Monita, adpendicis loco hic subungere, quæ ante omnes noster *Lutherus* sub initium cæptæ bono cum Deo reformationis, in *resolutionibus suis super Propositionibus Lipsie disputatis*, & primo operum *Ienæ* editorum Tomo insertis, ad illius explicationem satis prolixè scripsit, verbis sequentibus: *Dico, esse ejus vulgatam quorundam sententiam hanc, Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesie; id est, plus Ecclesie credo, quam Evangelio.* Et quod hæc eorum (quos in antecessoribus proximè vocavit *lurisperditos adsentatores Theologos*) sit sententia, ex eo patet, quod Papæ hinc tribuunt autoritatem interpretandæ scripturæ, soli etiam; deinde eam opponunt omnibus, quos audiunt vel dubitare, vel reluctari Pontificium vel literis, vel factis, quæ sententia nec Lucifer ipse, nec omnes hæretici summi summi damnatiorem, imò nec similem cogitaverunt impietatem. Nam hinc sequitur, Papam & Notarios Palatii esse supra Evangelium, ac per hoc supra Deum, cum Lucifer solum æqualis esse Deo fuerit conatus; quæ sententia novâ Papam nobis illum hominem statuunt, de quo dicit Paulus, *Qui extollitur supra omne, quod colitur, aut quod dicitur Deus.* Ecclesia enim est creatura Evangelii, incomparabiliter ipso minor, sicut Jacobus ait, *Voluntariè genuit nos verbo Veritatis sue.* Et Paulus, *Per Evangelium vos genui.* Undè idem verbum vocatur uterus Dei, *qui gestamini in utero*, &c. quia scilicet nascimur ex Deo, & portamur verbo Virtutis suæ. Si hoc voluisset Augustinus, sicut ei innocentissimo imponunt, quis non Augustini mallet nunquam audivisse nomen? Igitur ad fontem est eundem, scribit enim Augustinus *contra Epistolam Fundamenti Manichæorum*, non Vincentii, ut illi dicunt. Adeò studiosi sunt tum librorum, tum verborum, ut nec ad originem, nec ad sensum current movere pedem. Denique verba Augustini illi thraones sic reddunt, *Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesie.* Inde nihil mirum, si tantum sit laboratum in hujus dicti intelligentia, & tot sensuum rivulos inde ductos videamus; justus enim labor his est, ut multis torqueantur interpretationibus, qui librum & Authorem non dignantur lectione, sed è suis capitibus conantur divinare undelibet decerptis depravatiq; dictis intelligentiam. *Primo*, familiaris tropus est Augustini, dicere, se esse commotum hujus vel illius autoritate, sic enim primo scribit libro retractationum: *Cum legissem nonnullos eloquiorum devinorum tractatores, quorum me moveret autoritas*, &c. Deinde per autoritatem non intelligit potestatem, ut vulgo intelligitur, sed ut Latinissimi, quo modo *Plinius* Vino vel Gemmæ solet præ cæteris autoritatem tribuere, cum nullius sint in alia potestatis, quasi dicas pretiosam opinionem vel valorem. *Secundo*, Ecclesiam hoc loco nec Papam, nec Romam accipit, sed per totum orbem diffusam universalem Ecclesiam, ut mox ibidem dicit, *Evangelio Catholicis prædicantibus credidi.* Est ergo argumentum, scopus & summa Augustini hoc loco ejusmodi, vobis Manichæis non credo, quare, quia in Evangelio nihil de vobis lego. Cum autem Catholici vos per totum Mundum detestentur, Evangelium autem mihi commendat, & constanter ubique prædicent; Evangelio autem non credidissem, nisi totus orbem concorditer docens hæc autoritate sua me moveret ad credendum, simul eadem moveor autoritate ad vobis non credendum, quia nihil de vobis lego in Evangelio, cui motus autoritate totius orbis credo. Ex quibus clarum est, Augustinum hoc velle, posse scilicet probari tanto omnium consensu Evangelium & Ecclesiam, & improbari hærefes tantæ multitudini contrarias, præsertim, ubi hi, cum quibus agitur, libros accèptant, ex quibus id probatur. Hunc esse sensum Augustini, patebit quibuslibet, qui præcedentia & sequentia conferunt, & scopum Augustini observant. Frustra *Gerſon*, frustra *Mayron*, frustra & alii hoc de Ecclesia primitiva, alii de Ecclesia cum Christo Deo incluso intelligunt; nam & in *libris Confessionum* dicit idem, *se non leviter motum ad Christi fidem, quod videret sacris literis à Deo tantum esse datam autoritatem, quod orbe toto haberentur in summo*

autho.

p. 292. b.  
& sequ.

ii. Theſſ. 2.

Iſa. 46.

*authoritatis fastigio.* Ita hic dicit, se motum tanto per orbem populo in Evangelium consentiente, in quo tamen nihil invenisset de Manichæis; ideoque se non posse Manichæis credere, quos illi detestarentur, quos Evangelium videbat ita constanter recipere, ut eorum moveret autoritas ad credendum, hoc esse Evangelium. Neque hoc ergo recte dicitur, quod adprobante Ecclesia noscatur Evangelium, cum de adprobatione nihil dicat Augustinus, præsertim si Romanam intelligas Ecclesiam, sed de multitudine totius orbis quæ res non levis est autoritatis; cum sine maximo Dei miraculo fieri, tot resistens Tyrannis, tot morientibus Christianis, non potuisset, ut Evangelium sic maneret & cresceret. Si enim hoc non vidisset fieri, Evangelio non crederet. Qui hoc? Annon crederet, etiam si totus orbis insanit contra Evangelium? Dixi ergo, quod magis loquatur de convincendis hæreticis, & *probanda fide Catholica*, (hoc enim tunc agebat,) *quàm de fide propria*, quæ non ullorum autoritate, sed solo Dei Spiritu oritur in corde, licet per verbum & exemplum homo moveatur ad eam; *sed quia hæreticis hoc exemplo pro fide fortiter resistitur*, quasi diceret, fidem, quam habeo in Evangelium, non possem ita tueri contravos, nisi Ecclesia ista moveret autoritas. Et est simile, sicuti Deo non credidissem, nisi Paulo prædicanti credidissem, quia non fides non nisi ex auditu; *quomodo enim credent ei, quem non audierunt*, &c. ita probatio fidei non nisi ab exemplo totius Ecclesiæ per orbem est; quomodo enim persuadebit, etiam si solus fortissimè credat, nisi proferat & aliorum exemplum, & hoc quo potuit (modo) potentissimum? Igitur, non crederem, necessariò intelligitur, id est, non possum persuaderi & persuadere ad credendum; alioquin diceret falsissimè, *cum solus Spiritus Sanctus quemque faciat credere*. Vides ergo, quàm longe abierint ab Augustino, qui tropum hunc non observarunt, & quam inepte ad Ecclesiam Romanam & Pontificem Romanum ista sint directæ. *Hæc omnia ad dictum Augustini ab adversaria parte vexatissimum Lutherus noster*, in quibus etiam videatur rejicere *Gersonis*, Cancellarii quondam Parisiensis, & aliorum ante se explicationem de *Ecclesia primitiva*, quasi Augustinus de ea hic scripserit; norandum est tamen, Lutherum hic per primitivam intellexisse eam, quæ Christi & Apostolorum tempora proximè est secuta, non verò, quam Augustinus suo tempore audivit, quod integer verborum textus satis docet superque, ideo adductus, ut mens reformatoris Evangelici fieret eo magis manifesta. Hoc nimirum voluit Lutherus, necessum non esse, ut eo usque adscendatur; cum Augustini verba orthodoxo per omnia sensu de tempore tum præsentis possint intelligi, quo videlicet ipse vixit Augustinus, Evangelii veritate nondum tot erroribus corrupta, quot Papatus postmodum seculis innoxia sequentibus, ut adeò ab illo tempore ad præsens ratione hujus Motivi non liceat argumentari, hæc temporis circumstantia non in tantum modò, sed in totum ferè mutata, ita ut si Augustinus hodie fieret *redivivus*, an præsentem Ecclesiæ Romanensis faciem intueretur, vel qualis ante hoc fuit seculum, ejus autoritate vix moveri se sineret ad credendum illud Evangelium, quod in Synodo Tridentina sub anathematis pena fuit propositum. Ego hic eis, quæ alii ad hujus dicti Augustiniani sensum prolixè congeserunt, *Dorscheus* præsertim in peculiari dissertatione hætenus ab adversariis inconcussa, nihil addo præter pauca *Vesseli*, proximo ante Lutherum seculo florentis, verba, quæ in operibus *Groningæ* antehac editis ita leguntur: *Illud Augustini verbum de Evangelio & Ecclesia, non amplius probat, quàm continet; originis, non comparationis verbum est, quemadmodum quisque primæ multitudinis credentium rectè potuisset dixisse*, Evangelio non crederem, nisi Petro credidissem. *Sic & ego hodie*, nisi domesticis primùm puerulus, & postea Scholasticis, demùm Ecclesiasticis credidissem, hodie Evangelio non crederem. *Evangelio tamen magis, quàm alicui mortalium multitudini credo, adeoque deo credere. Quod si sentirem, omnes discredere homines, denuo nihilominus Evangelio, quàm illis adhererem. Parvule nascentis adhuc fidei originem tenuit Augustinus in verbo hoc suo, non auctoritatem Ecclesiæ cum Evangelii dignitate comparat.* Ita hic etiam scriptor; *Lux Mundi* dictus suo tempore, veritati per Dei gratiam mox in publicam reditura lucem, instar Auroræ prælusit, Augustini mentem orthodoxam exprimens benè fati.

pag. 393.